SPECIMEN ACADEMICUM.

J. W. H. FRANKAMP.


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUO INQUIRITUR

IN ARISTOPHANIS DE REPUBLICA ATHENIENSIUM SENTENTIAM.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUO INQUIRITUR

IN ARISTOPHANIS DE REPUBLICA ATHENIENSIUM SENTENTIAM,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

D. BIERENS DE HAAN,

PHIL. NAT. DOCT. MATH. MAG. ET IN FAC. PHIL. PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

In Academia Lugduno-Batava

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

JOHANNES GUILIELMUS HENRICUS FRANKAMP,

E PAGO LEIDSCHENDAM.

DIE XIV M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXII, HORA III—IV,


IN AUDITORIO MAIORE.



LUGDUNI-BATAVORUM,

S. C. VAN DOESBURGH.

MDCCCLXXII.



EX TYPOGRAPHEO I. C. DRABBE.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS

ET

AVO MATERNO,

VIRO DILECTISSIMO

J. J. T. VAN RHIJN,

NOT. PUBL. EM.

SACRUM.

ARGUMENTI DISPOSITIO.

Asperae facetiae, ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt.
Tacit. Ann. 15, 68.

Vetus Comoedia, quae extra controversiam inter omnes scenicae artis reliquias superiorem occupat locum, praeter salsorum facetiarumque copiam multa continet, quae uti-ssima sunt ad melius cognoscendum tempus quo floruit. am non mores solos tangebat; sed in scena carpe- omnia, quae in republica perverse fierent, et viros, qui ctoritate apud populum valerent. Quare procul dubio ihi esse videtur, quin eius salsa iudicia in animis aeserint, eiusque auctoritas, ob sermonis acrimoniam et veritatis amorem populo gratissima, magna fuerit apud spectatores, qui quamvis ridentes certe non sine morsu e theatro discedere solebant, ubi cuiusque vitia a poeta nudo capite vituperabantur.

Talis eius erat licentia, qualem sola democratia ferre osset. Nam populus gaudens maledictis et facetiis poetis erat praesidio contra eos, qui peterentur. Erat illa libertas, ut est apud Horatium, recurrentes accepta per annos, quae populi oblectamentum erat per dies

festos, Dionyso sacros, quibus poetae omnia licita erant, dummodo caveae excitarent cachinnos. Sic tamen simul erat praesidio contra omnes, qui populi dominationis adversarii magna cum laetitia et plausu populi in scena traducerentur.

Talibus viris hanc licentiam maxime invisam fuisse luce clarius est, sed inprimis apparet ex illa lege, qua auctore Pericle vetitum est ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν (cuius rei accurate descriptam significationem legas in Cobeti observ. crit. in Plat. com. reliq. pag. 13) Per tres deinceps annos poetae comici inter quos mordacissimus ille Cratinus prohibiti sunt, quominus libere in scena agerent quem vellent quum Pericles, cuius potentia tyrannidem prope adaequaret, recte metueret, ne comoedia populi erga se gratiam et verecundiam diminueret. Itaque statim post Samios devictos occasionem arripuit Pericles coercendi poetarum petulantiam, quod suae potestati periculum immineret. Verum non dubitandum est quin populus victoria laetus, quasi detortam hanc legem probaverit, non multo post antiquatam. Quod factum optime indicat, quae fuerit comoediae locus in republica.

Posthac per viginti annos, nulla lege repressa est comoediae licentia, qua praestantissimi poetae usi sunt ad carpendum, quae sibi displicerent. Quorum omnium principis, Aristophanis, fabulas quas ante Niciae pacem docuit, eo consilio perlegere statui, ut inde pro viribus poetae sententiam de reipublicae statu indagarem et cum historiae fide compararem. Qua in re id mihi inprimis agendum esse videbatur, ut diligenter ficta a veris, seria a iocose dictis secernerem. Non enim poeta verba facit

in Pnyce, sed in scena, quo tempore Athenas summa procacitas et petulantia incedebant, omnibus quae tangat, tantum leporis et paroediae offundit, ut perdifficile sit expiscari, quae revera eius sententia fuerit. Procul tamen dubio, quin eius temporis, quo ingens belli malum urbem incesserat, expressam ut ita dicam imaginem inveniamus in Aristophanis fabulis, ubi per iocos et convicia dilucet sincerus animus viri, qui tristem ex sua opinione reipublicae condicionem doleat, et in vitia civium perniciosa ita invehatur, ut fieri non possit quin admiremur poetam, qui, flagrans amore patriae inania et falsa, quae a salute reipublicae abhorrent, detestans ingenio suo utatur ut civium suorum oculos aperiat et cogat ea videre, quae rempublicam in perniciem praecipitent.

DE DEMAGOGIS.

ἔλπεο μὴ δηρὸν κείνην πόλιν ἀτρεμιετσθαι
μηδ᾽ εἰ νῦν χρῆται πολλῇ ἔθ᾽ ἡσυχίᾳ
εὖτ᾽ ἂν τοῖσι κακοῖσι φίλ᾽ ἄνδρασὶ ταῦτα γένηται
κέρδεα δημοσίῳ σὺν κακῷ ἐρχόμενα.
(Theogn. 47—50.)

Tyrannis exactis Athenis democratia orta est, qua urbs diu floruit, praesertim postquam cum Persis debellatum est, omnibus viribus tam animi quam corporis intentis ad universae Graeciae hostem propulsandum. Ii qui eo tempore vixerunt, ubique ut infra accuratius exponemus, a poeta laudibus efferuntur, qui temporis acti inprimis laudator Marathonomachos illos habet pro exemplis fortitudinis et continentiae. Illi demum fuerant cives, patria digni. Saepe opponuntur posteris, qui corruptis moribus longe distant a maiorum splendore et gloria. Qui enim populus antea fuerat fortis et prudens, a viris praestantissimis, ut erant Aristides et Themisthocles ductus, tempore, quo poeta fabulas docuit erat maximam partem turba, quae lucro intenta, a demagogis nummis et promissis ad omnia inhonesta perduci posset.

Quem rerum statum pessime oderat poeta, quum videret rempublicam perditam ubi plebecula stupida, se ipsum regem putans, tota se dederet viris, qui illius voluptatibus indulgentes et insanis studiis morem gerentes, potentiam adipiscerentur, parum tyrannidis dissimilem.

Semper adhuc Athenis reipublicae praefuerant viri, qui proba auctoritate et sanis consiliis populum moderati erant. Themistocles, Aristides, aliique opes et imperium eius auxerant, neque populo potentiam dederant, quam gerere non posset. Urbis pristinam felicitatem non exspectat poeta nisi populi redeat pristina continentia. (Equit. 1321.)

οἷος Ἀριστείδῃ πρότερον καὶ Μιλτιάδῃ ξυνεσίτει.

Quibus viris quorum virtutem admiratur poeta opponit Cleonem, suis factis gloriantem, seque melius de republica meritum esse quam ipsum Themisthoclem effutientem (cfr. Eq. 815—820).

Iam autem Pericles, cuius tanta fuit in civitate auctoritas, ut democratiae species quidem exstaret, re vera esset primarii viri regnum (*ἐγίγνετό τε λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχὴ* Thuc. II, 65) poetae aculeum non effugit, quamquam eum multo anteponit successoribus. (Eq. 283).

Cuius rei causa mihi non latere videtur. Pericles enim poetis comicis invisus ob legem, de qua supra dictum est, iisdem iam artibus usus est per quas post eius mortem demagogi studia plebis in se vertere solebant. Apud Plutarchum in vita Periclis, cap. 15 legimus:
χειροήθης ἦν τῷ δήμῳ καὶ ῥᾴδιος ὑπείκειν. καὶ συνενδιδόναι ταῖς ἐπιθυμίαις ὥσπερ πνοαῖς τῶν πολλῶν, i. e.

ideo indulgebat plebis lubidini, ut sua auctoritas in republica plurimum valeret. Unde factum est, ut Thucydide duce (cfr. Ach. 676) optimates, nimiam populi licentiam timentes uni viro obsequentis, summa ope contra eum nisi sint.

Ipse poeta pessime odit, quicunque fretus gratia populari, privatas res solas respiciat et saluti reipublicae anteponat. Eam rem inprimis notat in demagogis carpendis. Quae igitur fuerit eius sententia, cum Pericles populum ad bellum incitaret, facile coniicias; praeterea luculenter apparet e fabulis. In Acharnensibus (vers 520 seqq.) acerrime invehitur in Periclem, quod suaserit et quidem ob causam privatam, populiscitum contra Megarenses, quo bellum sit ortum. Vera an ficta sit narratiuncula, quam ibi legimus, non satis certum; sed Thucydidi credendum, opinor, narranti, causam illius rogationis fuisse *τὴν ἐπεργασίαν τῆς γῆς τῆς ἱερᾶς καὶ ἀνδραπόδων ὑποδοχὴν τῶν ἀφισταμένων*; quae autem apud Aristophanem legimus, aut comice ficta, aut potius rumorem fuisse ab adversariis dispersum, verisimile mihi esse videtur. Eadem cadunt in accusationem, quam in Pace invenimus, quod Pericles, metuens, ne ut Phidias convictus culpae poenas daret, bellum civerit contra Lacedaemonios. De qua re ipse Trugaeus dicit: v. 615.

ταῦτα τοίνυν μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ' πεπύσμην οὐδενός,
οὐδ' ὅπως αὐτῇ (Paci) *προσήκοι Φειδίας ἠκηκόειν.*

Haec omnia tamen, sive vera, sive falsa poeta adhibuit, pacis amantissimus ad belli auctorem exagitandum, qui turbas ob tam subtiles causas concitasset, et sua

auctoritate ita abusus esset, ut Graeciam in magnum malum praecipitaret.

Pericle mortuo statim mutatur reipublicae facies. De vitae scena exit vir, qui populi dominationem sua auctoritate semper coercuerat, ne nimis exsultaret; qui ita populo praefuerat, ut Atheniensium respublica prudenter administrata, maxime floruisset.

Iam ab initio belli tamen populus degenerare coeperat. Cuius rei non minima fuit causa illa pestilentia, quae Athenis saeviens, ipsum Periclem, e vita sustulerat. Quod autem maxime effecit ut antiqua virtus et continentia diminuerentur erat ingens multitudo hominum, quae, Pericle suadente, agros suos reliquerat, ut intra moenia tuta esset ab hoste (Pac. vers 632).

Erat plebecula seditiosa, superstitiosa, πολυπραγμονοῦσα, cuivis rei intenta praeterquam labori, demagogorum artibus opportunissima. Saepius poeta miseratur populum in urbe compressum; videt, quam perniciosa ei sit vita urbana. Pace facta rustici in agros redirent; tunc demum cognoscerent quam misere sint ludibrio habiti, χῖδρα φαγόντες mox iam discernerent, qui sibi sint amici, qui malevoli

ἡ εἰρήνη ἐστὶ χῖδρα καὶ σωτηρία.

Nam pax efficeret ut plebs rustica urbem relinqueret, ubi demagogorum dolis et artibus obnoxia, quidquid insanum et reipublicae perniciosum facere solebat. Modo redeat in agros, dicit poeta, mox sana mens redibit, et credulitas, qua abutuntur populi moderatores, desinet, simulac aberunt vitia urbana. Quod probe sciens Cleon

paci obstabat, quo magis Demum ludos faceret ut ei obiicit insiciarius (Eq. 809 quibus conferas Thuc V. 16)

ἃ σὺ γιγνώσκων, τόνδ' ἐξαπατᾷς, καὶ ὀνειροπολεῖς περὶ σαυτοῦ.

Post Periclis mortem populus omnibus vinclis solutus, sibi praefecit moderatores (προστάτας) qui subblandiendo tantam auctoritatem adepti sunt, ut per plebem iis omnia licita essent et impune saevirent in unumquemque, sibi aut plebi invisum. Erant viri, quorum insolentia et mores incultiores placerent plebi, post belli initium in urbe versanti. Audiamus poetae de iis sententiam. De eo qui primus post Periclem populi fuit moderator legimus in fragmento fabulae „Γῆρας" inscriptae. Ibi vocatur: Μελιτεὺς κάπρος (ἐπεὶ δασύς ἐστι) et postea sic eum alloquitur nescio quis: σὺ κυρηβιοπῶλα Εὔκρατες στύππαξ (στυππειοπώλης enim erat Eq. 129.) In lepidissimo oraculo, quod occurrit in Equitibus, primus est τῶν πωλούντων, οἳ τὰ τῆς πόλεως ἕξουσιν. Ei succedit Lysicles ὁ προβατοπώλης, qui ut narrat Thucydides (III, 19) anno 428 in Caria occidit.

Post hunc prodit ὁ βυρσοπώλης omnium notissimus, ab Aristophane mordaciter traductus, neminem digniorem putante, qui eum expellat quam insiciarum illum, cuius persona, a poeta ficta mordacissima paroedia mihi esse videtur et derisio demagogorum qui ipsi rudes, dolosi lucrum modo respicientes, a populo credulo et avido reipublicae praefecti sint. Tales igitur erant viri qui inde a Periclis morte, reipublicae malo crescentes, plebem moderabantur cuius lubidines antea a viris ho-

nestis coercitae tunc magno cum impetu erumpebant. (Eq. 738.)

τοὺς μὲν καλούς τε κἀγαθοὺς οὐ προσδέχει
σαυτὸν λυχνοπώλαισι καὶ νευῤῥαφοις
καὶ σκυτοτόμοις καὶ βυρσοπώλαισιν δίδως.

Tertius Cleon omnium maxime poetae est invisus. Iam belli initio Periclis est adversarius, ut populum sibi propitium faciat. Anno 427 verba facit contra Mytilenaeos, unde inprimis eius duritia patet contra socios, qua de re minime ei consentiebat poeta. (cfr. Pac. 935, 751) Cum enim hic in fabula, quae „Babylonii" est inscripta coram sociis Atheniensium civitatem exagitasset, ut legimus in Acharn. 645.

Καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας, ὡς δημοκρατοῦνται.

statim Cleon eum accusavit. Itaque cavendum est ne nimis poetae, qui privato quoque odio ei succensuit, credamus; verum etiam Thucydidem, de cuius sinceritate non dubitandum, quamvis Cleonis adversarium, poeta habet testem, narrantem eum fuisse omnium civum insolentissimum, cuius auctoritas magna fuerit apud populum (πιθανώτατος ἦν τῷ δήμῳ). Ut plebis studia erga se augeret, non minus contra optimates saeviebat quam in socios.

Id magnum malum in republica acriter tangit poeta in fabula, unde optime colligi potest quanto odio demagogorum artes, rempublicam et quemque bonum graviter vexantes, persequatur.

Quo anno Equites in scena acti sunt, summa erat Cleoni potentia. Superiore enim anno Pylo a Demosthene capta, Sphacteriam insulam ad deditionem adegerat, quum

Nicias ei, magna loquenti ceterisque ducibus ignaviam obiicienti imperio cessisset. Cuius rei successus inexpectatus cum Niciae factioni nocuerat, tum illius auctoritatem apud populum multum auxerat. Quo tempore igitur maxime fruebatur aura populari, virum potentem cuius e manibus paullo ante vix erat elapsus, acerrimis conviciis proscindere ausus est poeta, et simul populo quasi in speculo vitia ostendere, quae reipublicae saluti valde obstarent. Quantus esset metus, qui omnes invasisset luculenter apparet ex iis, quae legimus vers 230.

οὐ γὰρ ἐστὶν ἐξῃκασμένος
ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ αὐτὸν οὐδεὶς ἤθελεν
τῶν σκευοποιῶν εἰκάσαι.

Quae sint artes demagogorum ad populi os oblinendum lepide narrat alter servorum (Demosthenes) inde a versu 40.

ὦ Δῆμε, λοῦσαι πρῶτον ἐκδικάσας
ἐνθοῦ ῥόφησον, ἔντραγ' ἔχε τριώβολον.

Populus enim iurisdictionis amantissimus gulae deditus, ab eo, qui servum esse simulat, revera est tyrannus, omnibus modis inescatur. Quasi muscas oratores, qui sibi contra dicere possent e conspectu populi pellit (ἀποσοβεῖ τοὺς ῥήτορας, 50 cfr. Eq. 350). Placentam a conservo (Demosthene) ad Pylum pistam, ipse apponit populo, quasi a se esset parata. Populus contra senex somnolentus, ineptus e credulitate laborat (σιβυλλιᾷ) quam rem Cleon in suum vertit lucrum. Astute perspicit omnia populi vitia, quibus morigeretur, ut ipse rerum potiatur. Mercedem, quam populus ob ius dicendum acci-

pere solebat uno obolo auget (Eq. 51). Ab inimicis igitur circumventus invocat auxilium τῶν ἀνδρῶν ἡλιαστῶν (Eq. 255) probe sciens gratias sibi reddituros quos alat et obstupefaciat clamando in rostris (vers. 256, 257); nam est illa plebs, quae eius donis illicita ei auxilio erit contra adversarios, quos accusat coniurationis contra populi dominationem et reipublicae salutem, cuius verissimus typus in Vespis Philocleon (τῶν Φρατέρων τριωβόλου) invicem a Cleone petit, ut se defendat a filio domi inclusum (Pac. 196).

Unus omnium insolentissimus calumniator (cf. Eq. 65 seqq. 324, 1035)

ἐπίπαστα λείξας δημιόπρατα (vers. 103 Eq.)

populo opimam afferre solebat praedam, sive civium sive sociorum (cfr. Pac. 705) deferret nomina, ob quod beneficium gratus populus, lubenter omnia faciebat quae ille imperaret.

Ubicunque poeta detegit machinationes demagogorum et dolos qui sub eorum latent blanditiis. Sed inprimis in Vespis facit Bdelucleonem (cuius e nomine satis apparet sententia), plebi probantem quam turpiter eam decipiat. Persuadet enim hic patri Philocleoni, qui iudex se omnium dominum esse existumat, ut sentiat se revera esse servum demagogorum (δουλεύων λέληθας v. 515—517). Tu ait servis, quamquam regnare putas nam dic mihi pater, quo honore, ius dicens afficiare et quantam accipias mercedem. Num, quod cives divites te metuant, te ipsum pro rege habes et triobolum pro thesauro? immo revera es servus tuae vanitatis, nec minus illorum, qui ea abutantur ut omnia a te impetrent, quae velint. Si sapias videbis. De reditu publico ne decimam quidem partem

te accipere digitis computare possis; omnia cetera defluere (Vesp. 666.)

ἐς τούτους τὸυς οὐχὶ προδώσω τὸν Ἀθηναίων κολοσυρτόν.
ἀλλὰ μαχοῦμαι περὶ τοῦ πλήθους ἀεὶ.

Talibus verbis deceptus, populus (*τοὺς ἀργελόφους περιτρώγων*) specie imperii et exigua mercede contentus est; demagogi contra mercedem accipiunt a sociis, qui facile intellegunt potentiam veram non esse penes populum sed apud illum cui populus tamquam servus obtemperet. Populo qui multo cum labore et periculo imperium terra marique est nactus nullum meritum datur praemium (Vesp. 679).

οὐδεὶς οὐδὲ σκορόδου κεφαλὴν τοῖς ἐψητοῖσι δίδωσιν

A Ponto usque ad Sardes regnantem populum de plurimis urbibus cui diviti esse liceret, ludos faciunt veteratores *οἱ ἀεὶ δημίζοντες*, eique dant praedae partem quam minimam (vers 690), quo plebs pauper magis iis sit obnoxia, ut perhibet Bdelucleon (vers 703)

βούλονται γάρ σε πένητ' εἶναι καὶ τοῦθ' ὧν οὕνεκ' ἐρῶ σοι
ἵνα γιγνώσκῃς τὸν τιθασευτὴν, κᾆθ' ὅταν οὗτος γ' ἐπισίζῃ
ἐπὶ τῶν ἐχθρῶν τιν' ἐπιῤῥύξας, ἀγρίως αὐτοῖς ἐπιπηδᾷς.

(Qua eadem comparatione Demosthenes quoque utitur in Orat. Olynth. IV cf. etiam Pac. 640.)

Per quos si liceret lauta esset vita plebi e mille urbibus, quas habet in ditione et degeret, uti deceat viros qui tropaeum ad Marathonem erexerint. Si populus saperet, mox videret, quam anxie illi viri eius favorem

capessant. Nam simulac metus eos invaserit, statim mare et montes populo promittunt, ut Euboeae divisionem, aut quinquaginta singulis frumenti medimnas. Mox tamen metu remoto, nihil dant, nisi illas quinque medimnas nuper:

καὶ ταῦτα μόλις ξενίας φεύγων ἔλαβες κατὰ χοίνικα κριθῶν.

(Schol. ad Pac. 717 conf.)

Ipsa urbs languet et penuria efficit, ut populus lubenter omnia accipiat ad devorandum. (Pac. 641)

ἡ πολὶς γὰρ ὠχριῶσα κἀν φόβῳ καθημένη
ἅττα διαβάλλοι τὶς αὐτῇ, ταῦτ' ἂν ἥδιστ' ἤσθιεν.
ἡ δὲ τὰς πληγὰς ὁρῶντες ἃς ἐτύπτονθ' οἱ ξένοι
χρυσίῳ τῶν ταῦτα ποιούντων ἐβύνουν τὸ στόμα
ὥστ' ἐκείνους μὲν ποιῆσαι πλουσίους, ἡ δ' Ἑλλὰς ἂν
ἐξερημωθεῖσ' ἂν ὑμᾶς ἔλαθε. ταῦτα δ' ἦνὁ δρῶν βυρσοπώλης.

Quae omnia mihi luculenter ostendere videntur, poetam id inprimis agere, ut populo planum faciat, quam stupide demagogis serviat, quod iis praebeat opportunitatem, qua eum decipiant et cum malo reipublicae ipsi lucrum faciant. Cleonem et eiusmodi viros nonnisi damnum afferre posse civitati intelligit. Contra eos inprimis certare fatetur, in Parab. Vesp. (1029), ubi dicit se non homunciones aggredi solere, sed potentissimos viros, unde maximum immineat periculum civitati; statim igitur se quasi Herculis furore commotum pugnam fecisse cum Cleone quo horribili monstro civitatem liberaret.

τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὔ φησιν δείσας καταδωροδοκῆσαι
ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖ.

(Quibus Conf. Pac. 750—759, ubi poeta sua exscribit verba.)

Neque metu, neque nummis impulsus destitit defendere causam, quae civibus suis foret utilissima. Quod serio dictum mihi esse videtur, a poeta, cuius odium sincerum undique apparet. Saepe etiam Cleonem conatum esse, eum nummis ad suas trahere partes, nil prorsus credere vetat, quum talis inimici auctoritas haud esset spernenda. Obiicit Aristophanes populo Atheniensium, quod talem virum temere sibi ducem praefecerit, et classi, Deorum auxilio solo servatae (Nub. 581). Assidue suadet, ut quae peccaverit, in integrum restituat. Quod fieri profecto non posset, nisi Cleone expulso. (Nub. 591 Eq. 1049).

ἢν Κλέωνα τὸν λάρον δώρων ἑλόντες καὶ κλοπῆς
εἶτα φιμώσητε τούτου τῷ ξύλῳ τὸν αὐχένα
αὖθις ἐς τἀρχαῖον ὑμῖν, εἴ τι κἀξημάρτετε
ἐπὶ τὸ βέλτιον τὸ πρᾶγμα τῇ πόλει συνοίσεται.

Tum denique civitati pace et pristina felicitate frui licebit.

Cleon enim alteram civium partem metu, alteram blanditiis et aliis artibus vinctum tenebat. Nusquam melius rerum status describitur, opinor, quam in Equitibus, inde a vers. 222—233, ubi insiciario roganti:

καὶ τίς ξύμμαχος
γενήσεταί μοι, καὶ γὰρ οἵ τε πλούσιοι
δεδίασιν αὐτὸν, ὅ τε πένης βδύλλει λεώς

servorum alter respondet:

ἀλλ' εἰσὶν ἱππῆς ἄνδρες ἀγαθοὶ χίλιοι
μισοῦντες αὐτὸν, οἳ βοηθήσουσί σοι.
καὶ τῶν πολιτῶν, οἱ καλοί τε κἀγαθοὶ
καὶ τῶν θεατῶν, ὅστις ἐστὶ δεξιὸς
κἀγὼ μετ' αὐτῶν χὠ θεὸς ξυλλήψεται.

Ut bene intelligeret populus, qualibus viris obsequatur, et quo iam delapsa sit democratia poeta in scenam producit virum, qui fatis praedictus Cleonis successor, si eum insolentia et arte populi decipiendi superaret omnium huiuscemodi demagogorum referret imaginem. Unde optime cognoscitur, quid sibi et reipublicae metueret Aristophanes, si talibus viris reipublicae salus a plebe, nil nisi sua respicienti commoda, committeretur.

Ad rempublicam administrandam comice ab Equitibus, Cleonis et licentiae plebis adversariis, vocatus, insiciarius inexspectato honore affectus exclamat: Quid me a meis avocatis insiciis, ut rempublicam capessam?

Ad quod respondent illi ne metuat: iam enim reipublicae administratio est φαυλότατον ἔργον, neque a quotidiano eius officio discrepat; modo omnes res bene misceat et turbet, suaque male facta verbis blandis et speciosis condiat, ne videantur. Nam turpissimus quisque iam maxime populo placet.

δι' αὐτὸ γάρ τοι τοῦτο καὶ γίγνει μέγας
ὁτιὴ πονηρὸς κἀξ ἀγορᾶς εἶ καὶ θρασύς.

Eruditionis expers, aptissimus erit ad moderandum populum. Excusat insiciarius ignorantiam (v. 189).

μουσικὴν οὐκ ἐπίσταμαι
πλὴν γραμμάτων, καὶ ταῦτα μέντοι κακὰ κακῶς.

Sed iam nimium est illud κακὰ κακῶς

ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ
ἔτ' ἐστὶν ἀνδρὸς οὐδὲ χρηστοῦ τοὺς τρόπους
ἀλλ' εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρόν.

Eo igitur venit populus, ut, qui antehac cuperet, viros eruditos et nobiles sibi praeesse, nunc turpissimum quemque eligat forensem qui rauca voce, ut Cleon cives tamquam oves in Pnyce (Vesp. 31) blanditiis, oraculis, aliisque dolis decipiat, ita clamans, ut metu perculsa tota civitas tacita sedeat.

Eq. 274. καὶ κέκραγας, ᾧπερ ἀεὶ τὴν πόλιν καταστρέφει (De voce Cleonis multa occurrunt. In Vespis appellatur φάλαινα πανδοκεύτρια ἔχουσα φωνὴν ἐμπεπρησμένης ὑός et in Equitt. κεκραξίδαμος (cfr. Eq. 137, 274, 305—312).)

Demagogorum ingenio et moribus expositis, ostendit poeta, quae huiuscemodi virorum fidei committantur, ubi insiciarius certior fit de iis, quae in sua habiturus sit potestate, si Cleonem vincat.

Summa apud eum erit potentia de universa civitate, de portubus et de ipsa Pnyce (ἀρχέλας); senatum, si velit, conculcabit, praetores mutilabit (Eq. 166), quae quid significent luce clarius; quemvis in vincla coniicere licebit et non solum quemadmodum Cleon solebat, in Prytaneo coenare sed scortari; suo iure possidebit insulas cyclades, emporia, naves onerarias et alia, quibus omnibus ex lubidine uti poterit (cfr. 176):

διὰ σοῦ ταῦτα πάντα πέρναται.

Hic igitur quoque tangit poeta populi dominationem vecordis, quae Athenis orta est, quum iam nemo adesset, qui, ut est apud Horatium „rectum ordinem evaganti frena licentiae iniiceret.” Est illa democratiae forma quae recte ab Alcibiade vocatur ὡμολογουμένη ἄνοια, qua plebs, turpissimis studiis indulgens, nequissimo cuique praebeat occasionem reipublicae pessumdandae et potentiam det, quae inprimis opprimat bonos et opulentiores.

Ut Cleonem vocet in suspicionem et simul planum faciat, quam paulum potestas illa discrepet a tyrannide, ea finxisse mihi videtur quae legimus in Eqq. (vers. 846). Nam ibi Cleonem, arroganter iactantem se adversarios suos victuros, quamdiu unus e clypeis ad Pylum captis relinquatur, statim accusat insiciarius, quod regnum captet, et clypeos cum ansis suspenderit, quibus continuo uteretur contra populum, si eum ostracismo expellere vellet, (ὀστρακίνδα βλέπων). Quamvis sit ridicula et comice ficta haec suspicio tamen latere poetae consilium mihi videtur monendi populum, ne nimis sit socors, et caveat cives illos, de quibus Diodotus in oratione contra Cleonem habita dicit: (Thuc. III, 42) καὶ πλεῖστ' ἂν ὀρθοῖτο ἡ πόλις ἀδυνάτους λέγειν ἔχουσα τοὺς τοιούτους τῶν πολιτῶν, qui callide calumniis usi, a loquendo deterreant adversarios et auditores ita percellunt, ut metu omnibus iniecto, civitas bonis consiliis privetur. Quae optime cadunt in Cleonem, cuius auctoritas tanta erat apud populi partem stolidiorem, ut quasi tyrannus omnes adversarios opprimeret, quorum nemo valeret ad fortiter resistendum. Poeta solus strenue contendit, ut

in scena obtrectet illa beneficia, quibus plebs capta hominem veneraretur.

Nempe sciens, plebis studia erga Cleonem inprimis crevisse post captam Sphacteriam, ex industria arguit non eum sed Demosthenem fuisse, qui solus sit laude dignus. (Cfr. Eq. 54—57, 744, 745).

Quid putas, Κεκροπίδη κακόβουλε, rogat, Cleonis factum esse tam praeclarum; etiam mulier onus sustineret, quod vir eius humeris imponeret humo sublatum, verum pugnare non posset.

χέσαιτο γὰρ εἰ μαχέσαιτο. (Eq. 1055) cfr. Thuc. II. 28.

Praeter poetam adversarios Cleonis i. e. factionem, cui Nicias praeerat numquam honorem gloriamque victoriae ei tribuere voluisse, cui, ut Thucydides narrat, permisissent imperium de classe sperantes fore ut successu carens, etiam populi gratia careret verisimile est. Demosthenem qui Pylo capta hostes vicerat et postea etiam intererat obsidioni Sphacteriae, pro vero victore habebant, quum plebs Cleonem laude efferret. Horum sententiam hic poeta mihi adhibere videtur ut quantum possit, plebis insanam admirationem refrigeret.

Quamvis certum est, Aristophanem Cleonem privato odio esse persecutum, tamen omne demagogorum genus, ut reipublicae malum ita increpat, ut nil relinquatur dubium quid de eorum dominatione senserit. (Quod satis probant quae de Hyperbolo aliisque occurrunt in fabulis). In omnibus fere fabulis acriter invehitur in omnes, qui unque, ut dicit Sallustius rempublicam agitarent honestis nominibus sicuti populi jura defenderent et bonum publicum

simulantes pro sua quisque potentia certarent. Tales erant, qui poetae tempore paci obsistebant, ut sua augerent et optimatibus quovis modo adversabantur, ut plebi placerent. Quamobrem illi primam occasionem arripere solebant expellendi viros, sibi infestissimos. Lubenter, ut iam supra vidimus, Cleoni permiserunt imperium de classe ut se ipsum in perniciem praecipitaret et Hyperbolum, ut legimus apud Plutarchum, Alcibiade et Nicia inter se conciliatis, ostracismo solum vertere coegerunt. Postremo, Athenis captis, pauci rerum potiti statim supplicium sumsere de viris, οὓς πάντες ᾔσαν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ ἀπὸ συκοφαντίας ζῶντας καὶ τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς βαρεῖς ὄντας. (Xen. Hist. Graec. II, 2)

DE POPULO ATHENIENSIUM.

Non est consilium in volgo non ratio, non diligentia, non discrimen.

Cic. pro Planc.

Non semper danda pecunia, languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes et securi omnes aliena subsidia exspectabant, sibi ignavi, nobis graves.

Tac. Ann. II. 38.

Postquam vidimus poetam in Equitibus aliisque fabulis pravorum demagogorum artes exagitantem, iam operae pretium est indagare, quae fuerit eius sententia de populo, qui se suaque illis crederet. Libere ubique utitur concessa libertate ad populum carpendum, in quem delegat culpam malorum civitatis, neque desistit laudare maiores, a quorum virtute valde degeneraret. Praesertim in fabula, quam ipse poeta primus docuit cum Equitum applausu et auxilio, simul jocose et mordaciter cavillatur populum. Ibi enim producit in scenam senem somnolentum, credulum, puerilem, cui servi, ut fit, dolosi subblandiendo verba dant, qua lepida fictione nihil melius

potuit verum rerum statum in medio ponere quo tempore saepissime conspicias servos sua calliditate dominos decipientes, ita ut vices mutentur et servus revera fiat dominus (cf. Xenoph. de rep. Ath. I, 10). Duo servi, quos mox Niciam et Demosthenem esse cognoscas, dominum ita describunt (Equitt. 40—43).

νῷν γὰρ ἐστὶ δεσπότης
ἄγροικος ὀργὴν κυαμοτρὼξ ἀκράχολος
Δῆμος πυκνίτης, δύσκολον γερόντιον
ὑπόκωφον

Populi inertia et mens stolida cum in senatu, tum in comitiis demagogis praebent optimam occasionem, qua impune saeviant. Quod malum lepidissime tactum invenimus ubi coriarius et insiciarius in suam quisque partem senatum trahere conantur: scilicet amplissimi senatores, superciliis contractis audiunt accusationem coniurationis, a Cleone contra Equites delatam, solita vi eloquentiae adhibita (πιθανώτατα λέγων, Eq. 628 Thuc. III, 36). Mox tamen alter, altiore voce clamans senatus studia in se vertit nuntiando, aphuas numquam fuisse viliores ex quo bellum ortum sit. Quo laetissimo nuntio senatores tanto gaudio exsultant, ut Cleonem, legatos de pace adesse dicentem ne audire quidem velint. Ecquid mordacius potuit fingere poeta ad levitatem carpendam eorum, a quibus sorte creatis, penderet reipublicae salus? Jure populi vitiis fretus poterat iactare Cleon: adversarios meos non metuo, quamdiu stet senatus (Eq. 395).

καὶ τὸ τοῦ δήμου πρόσωπον μακκοᾷ καθήμενον

et probe sciens, suam potentiam stare si indulgeat plebis voluptatibus contra adversarium iactat: Eq. 712—214.

ἀλλ' ὦ πονηρὲ, σοὶ μὲν οὐδὲν πείθεται
ἐγὼ δ' ἐκείνου καταγελῶ γ'ὅσον θέλω
ἐπίσταμαι γὰρ αὐτὸν οἷς ψωμίζεται.

Populo acceptissima sunt ea beneficia, quae suae aviditati et vanitati maxime satisfaciant, ceterum reipublicae consulere neque valet neque vult propter ignorantiam et imperitiam. Largitiones frumentariae, (Eq. 1110 Vesp. 715—718) merces iudiciaria quae, Cleone auctore ad tres obolos erat aucta, oracula blanda inania, obscura, nonnisi stupidissimo cuique credibilia plebi inprimis placebant; ut illud notissimum de Athenis oraculum:

εὔδαιμον πτολιέθρον 'Αθηναίης ἀγελαίης.
πολλὰ Fιδὸν καὶ πολλὰ παθὸν καὶ πολλὰ μογῆσαν
αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι ἤματα πάντα

Aptissima erant ad movendum venale et superstitiosum plebis ingenium, quo obnoxia esset primo cuique, qui callide eius prava studia in suam rem vertere sciret.

Aristophanes multis locis haec populi vitia tangit, quippe quae essent reipublicae perniciosissima. Sic populum, se pro domino habentem, revera moderatorum servum esse ostendit, quem ob ignorantiam et aviditatem exigua mercede contentum decipiant nequissimi viri, ipsi magnum lucrum facientes. Cuius rei causa luculentissima, quod multitudo non satis sapiat ad imperium tenendum. Nisi vir probus et sapiens ei praesit, non potest aliter evenire quin respublica populi licentia male pereat.

Multa sunt populi vitia, quae impediunt, quominus sub eius effrenata dominatione civitas possit florere.

Lucri privati spes cives tenet. Vesp. 605.

ὅδε γ' ἥδιστον τούτων ἐστὶν πάντων οὗ 'γὼ 'πιλελήσμην
ὅταν οἴκαδ' ἴω τὸν μισθὸν ἔχων

Vesp. 695

σὺ δὲ χασκάζεις τὸν κωλαγρέτην, τὸ δὲ πραττόμενόν σε λέληθεν,

Quibus conferre operae pretium est, quae dicit Theramenes, cui neque democratia, neque oligarchia nimis immodica placent in oratione apud Xenophontem in historia Graeca (II, 3, 48): *ἐγὼ ἐκείνοις μὲν ἀεί ποτε πολεμῶ τοῖς οὐ πρόσθεν οἰομένοις καλὴν ἂν δημοκρατίαν εἶναι, πρὶν καὶ οἱ δοῦλοι καὶ οἱ δι' ἀπορίαν δραχμῆς ἂν ἀποδόμενοι τὴν πόλιν ἀρχῆς μετέχοιεν, καὶ τοῖσδε γ' αὖ ἀεὶ ἐναντίος εἰμὶ οἳ οὐκ οἴονται καλὴν ἂν ἐγγενέσθαι ὀλιγαρχίαν, πρὶν εἰς τὸ ὑπ' ὀλίγων τυραννεῖσθαι τὴν πόλιν καταστήσειαν.* Hanc quoque sententiam fuisse poetae mihi ex fabulis facile colligas, in quibus ubique patet, eum spem reipublicae salutis posuisse in iis qui probi et eruditi respublicas a privatis secernerent. Neque potuit aliter fieri, quin cives boni inde a Periclis morte, propensiores fuerint oligarchiae, qua certe civium honestiorum et sapientiorum in republica esset auctoritas non cuiusque insolentissimi, nulla bona arte praediti, qui ut Cleon, plebeculae gratia nitens, cum bonorum malo regnaret.

Praeter alia tamen populi vitia inprimis increpat vanitatem, quae faciebat ut crederet obscuris sed blandis ora-

culis, quibus demagogi plebem superstitiosam quasi divinis promissis allicerent. Sic legimus de Cleone Eq. 61

ᾄδει δὲ χρησμούς, ὁ δὲ γέρων σιβυλλιᾷ.

Nam amabat, ut iam supra vidimus, plebs vaticinia, quae urbis futuram gloriam et imperium de orbe terrarum canerent. Quem insanum amorem lepidissime paroediatur poeta in Equitibus, ubi Cleon et insiciarius inter se certant, et populus suam promittit gratiam ei, qui proferat splendidissimum oraculum. (cfr. Eq. 797 seqq. 1012, 1087—1091).

Nam cum hic illi obiicit, quod cum malo populi paci obstet, ut impune saeviat in republica, respondet Cleon, se id facere, quod fata praecinant, populum aliquando in Arcadia iudicem quinque obolos mercedem accepturum: (Eq. 798).

ἐστὶ γὰρ ἐν τοῖς λογίοισιν
ὡς τοῦτον δεῖ ποτ' ἐν Ἀρκαδίᾳ πεντωβόλου ἡλιάσασθαι
ἢν ἀναμείνῃ. πάντως δ' αὐτὸν θρέψω 'γὼ καὶ θεραπεύσω
ἐξευρίσκων εὖ καὶ μιαρῶς ὁπόθεν τὸ τριώβολον ἕξει

Probe enim scit Cleon suam auctoritatem inprimis ea mercede niti. Simul apparet ex iis, quibus vera Cleonis consilia detegat Agoracritos quam recte perspiceret poeta demagogorum artes et populi levitatem et ignorantiam, quae impedirent quominus eius dominatio stare posset. Nam ingenium eius blanditiis muneribusque flexibile faciebat, ut summum reipublicae commodum non respiceret, cuius salutem cuicunque crederet qui maxime indulgeret eius pravissimis studiis. (Eq. 1108).

ὁπότερος ἄν σφῶν εὖ με μᾶλλον νῦν ποιῇ
τούτῳ παραδώσω τῆς πυκνὸς τὰς ἡνίας.

τὰ θωπευμάτια καὶ μικρότατα δελεάσματα (Eq. 215) sunt aptissima ad movendos multitudinis animos. Ubi insiciarius populo donat pulvinum. (Eq. 781, 785).

ἵνα μὴ τρίβῃ τὴν ἐν Σαλαμῖνι.
ὃς διεξιφίσω περὶ τῆς χώρας Μαραθῶνι.

tanta liberalitate perculsus exclamat Demus

ἄνθρωπε τίς εἶ; μῶν ἔκγονος εἶ τῶν Ἁρμοδίου τις ἐκείνων;

Iam eo degeneravit populus a maiorum virtute, ut insiciarii donum vilissimum, modo corpori utile, compareret cum illo praeclarissimo facinore, quo patria in libertatem esset vindicata; ut perditissimum quemque adulatorem iam pluris aestumet, quam Themistoclem illum, qui Piraeum muniendo opes et gloriam urbis maxime auxisset.

Stolida mens plebis penes quam summa rerum rempublicam in perniciem praecipitat; nam ibi inprimis indiget sana mente ubi maxime opus esset. (Eq. 752).

ὁ γὰρ γέρων
οἴκοι μὲν ἀνδρῶν ἐστὶ δεξιώτατος,
ὅταν δ' ἐπὶ ταυτησὶ καθῆται τῆς πέτρας
κέχηνεν.

Ergo domi, ubi sapit, populus sua agat; sed rempublicam administrandam permittat viris, qui rerum peritia ei prodesse possint; caveat ne sua ignorantia nequissimis

praebeat occasionem eius pessumdandae. Saepissime poeta populo obiicit τὸ χάσκειν, (cfr. Vesp, 35, Eq. 1263, ubi Athenienses appellantur, χαυνοπολῖται et urbs, τῶν Κεχηναίων πόλις) quod, quid significet, non opus est explicare, opinor. Desiderat illos otiosos (ἀπράγμονας) qui ante Periclis aetatem, quum nondum omnia frena abiecisset democratia, res domesticas solas agerent, rempublicam nobiliorum virorum et peritiorum fidei crederent. Quem rerum statum omnes optimates mihi valde optasse videntur. Iam Pericles contra, populi regno favens, postulat ut quisquis civis rebus publicis intersit otiosum inutilem (ἀπράγμονα ἀχρεῖον) esse perhibens in ea oratione, quam pro bello habuit. Quod optime quidem cessit, dum ipse populum quasi frenis regebat; sed statim post eius mortem in malam abiit partem.

Omnia facit poeta, ut populus ipse sentiat, quam turpiter decipiatur, sperans opinor, ut taedium excitaret speciosae servitutis et populum ad meliorem reduceret frugem. Quamobrem Equitum chorus, sic alloquitur Demum (Eq. vers. 1111): „Praeclarum tuum est imperium, quare omnes te ut tyrannum colunt, verum cereus es flecti in vitium.

εὐπαράγωγος εἶ
θωπευόμενός τε χαί =
ρεις κἀξαπατώμενος
πρὸς τόν τε λέγοντ' ἀεὶ
κέχηνας ὁ νοῦς δέ σου
παρὼν ἀποδημεῖ.

Quibus conferenda sunt ea, quae Nicias scribit, de civium levitate (Thuc. VII, 14): καὶ ἅμα τὰς φύσεις

ἐπιστάμενος ὑμῶν, βουλομένων μὲν τὰ ἥδιστα ἀκούειν, αἰτιωμένων δ' ὕστερον ἤν τι ὑμῖν ἀπ' αὐτῶν μὴ ὅμοιον ἐκβῇ.

Fatetur Demus suam culpam et simul insolenter addit causam: nempe suum lucrum respiciens eum cupit patronum, qui suis voluptatibus maxime morem gerat: (Vers. 1108).

ὁπότερος ἂν σφῶν εὖ με μᾶλλον νῦν ποιῇ
τούτῳ παραδώσω τῆς πυκνὸς τὰς ἡνίας.

V. 1126. *αὐτός τε γὰρ ἥδομαι*
βρύλλων τὸ καθ' ἡμέραν.

Tamquam equum alere dicit *τὸν προστάτην* aut victimam, quam bene saginatam macturus est (vers. 1141). Quae agendi ratio gratissima plebi perniciosissima est reipublicae, sed semper et ubique exsistit, ubi summa rerum est penes multitudinem incultam. In nostra quoque aetate multa praesto sunt documenta, unde discimus plebem ob ignorantiam communem salutem non respicere, quum res privatas a publicis secernere non possit; demagogos ob pravam aviditatem, rempublicam turbare solere, dummodo lucrum faciant.

Non pudebat Athenienses imperium dare viro, cuius imperitiam et pravam ambitionem perspiceret et ridebat omnium levissima natio, etiamsi ageretur de reipublicae salute. Nam cum Cleon cedente Nicia, arroganter iactaret se duce Sphacteriam mox in dicione fore Atheniensium, *ἐπῆλθεν αὐτοῖς*, ut narrat Plut. *μᾶλλον γελάσαι ἢ πιστεῦσαι, καὶ γὰρ ἄλλως εἰώθεσαν αὐτοῦ τὴν κουφότητα καὶ μανίαν φέρειν, μετὰ παιδιᾶς οὐκ ἀηδῶς.* (cfr. Thuc. IV. 28).

Nihilominus obedienter sequebatur populus, quo demagogus eum voce crepitante vocaret. Quem rerum statum poeta mordaci acrimonia perstringit ut bonis civibus haud tolerabilem, a vera reipublicae salute maxime abhorrentem, quae sic pendeat a decretis plebis ineptae sibique non constantis, de cuius dominatione verba faciens Megabyzos ille dicit: (Her. III. 81). τῷδε οὐδὲ γινώσκειν ἔνι, κῶς γὰρ ἂν γινώσκοι, ὃς οὔτ' ἐδιδάχθη οὔτε οἶδε καλὸν οὐδὲν οὐδ' οἰκήϊον, ὠθέει τε ἐμπεσὼν τὰ πρήγματα ἄνευ νόου χειμάῤῥῳ ποταμῷ ἴκελος; Optime tamen intelligit poeta, populum, propter imperitiam non omnium malorum esse culpam, sed pessime odit illos, qui cum dolo malo et reipublicae periculo res misceant. (Eq. 1306).

ἀλλ' οὐ σὺ τούτων αἴτιος, μὴ Φροντίσῃς
ἀλλ' οἵ σε ταῦτ' ἐξηπάτων.

Ut in Equitibus Aristophanes cavillatur populi levitatem et socordiam qua rempublicam, socios et cives bonos demagogorum artibus det praedae, ita non minus audacter in Acharnensibus, quae fabula inprimis contra bellum est scripta, civium vitia carpit. Praeter alia increpat insanum odium, quo hostes persequuntur, quod consulto a demagogis auctum magnum esset impedimentum, quominus Athenienses pacem acciperent.

Haud sine causa poeta in scenam producit Acharnenses, utpote qui omnium maxime Lacedaemoniis essent infesti. Incolae enim pagi qui solus ter milia hoplitarum educere poterat (ut legimus apud Thuc. II, 19) primi belli mala erant experti.

Ob agros deletos vehementer irati a Pericle postulaverant, ut copias in hostes educeret (*ὡς αὐτῶν ἡ γῆ ἐτέμνετο*). Qui quum recusaret, statim pro omnium malorum causa est habitus.

Id autem odium, initio belli ortum, crebris invasionibus magis auctum quam extinctum fuisse luce clarius est, cum insuper accenderetur ab iis, qui bellum sibi utile protrahi optime vellent. Quum igitur e factione, quae pacem cupiebat vix aliquis pro Lacedaemoniis verba facere auderet metuens, ne suspicionem Laconismi in se contraheret poeta sustinuit producere in scenam illum Dicaeopolim civem probum, uti poetae placebat, sana mente et pacis amore inter ceteros, qui militarem ostentationem et magna verba inepte admirabantur, excellentem.

Est unus ex iis, qui ut Trugaeus et Strepsiades propter bellum in urbe inclusi, in demum suum redire cupiunt, de quibus apud Thucydidem legimus: *χαλεπῶς δὲ αὐτοῖς διὰ τὸ ἀεὶ εἰωθέναι τοὺς πολλοὺς ἐν τοῖς ἀγροῖς διαιτᾶσθαι ἡ ἀνάστασις ἐγένετο.* (Cfr. II. 14, 17, Acharn. 72).

Vitae aerumnosae taedio captus, et videns, quae mala secum ferat bellum, queritur de civium socordia. (v. 21, 26).

οἱ δ' ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσι
εἰρήνη δ' ὅπως ἔσται προτιμῶσ' οὐδέν.

Ipse ad tempus in concione adest, ut obstrepat illis oratoribus, qui pacem dissuadeant. In scena habentur comitia, quae quamquam comice ficta, non longe discrepare mihi videntur ab iis, quae tunc fierent ubi mul-

titudo magno eum strepitu saeviret, et turpiter eluderetur. Amphitheos quidam primus facit verba.

Originem ducens a diis, omnes proavos enumerans, ut solent apud Euripidem personae, nuntiat, deos sibi mandasse pacem facere cum Lacedaemoniis. Odiosis verbis vix auditis, statim οἱ τοξοταὶ eum explodente populo abducunt; verissimum credo concionum exemplum eius temporis. Nam quisquis de pace loqui auderet, ei obstrepere solebat populus qui ab oratoribus ad insanum odium excitatus, non videbat, bellum sibi et Graeciae nil nisi damnum, demagogis solis lucrum afferre. Aristophanes igitur intelligens, eam rem inprimis pacem impedire utitur libertate comoediae concessa ad producendum in scenam virum, qui coram Acharnensibus omnium maxime Lacedaemoniorum hostilibus, pro hostibus et pace causam dicat. (Thuc. II, 48).

Ut solet fieri in bello omnia vera aut falsa crimina in hostes iaciebantur. Sic Acharnenses irati in Dioaeopolin invehuntur, quod pacem fecerit cum iis,

Ach. 308. οἷσιν οὔτε βωμὸς οὔτε πίστις οὐθ' ὅρκος μένει.

(quae accusatio saepissime occurrit, (Ach. 225, Lys. 629. Pac. 1068) ad quem locum Schol. adnotat: ἀεὶ τοὺς Λακεδαιμονίους εἰς τοῦτο κωμῳδοῦσιν. καὶ Εὐριπίδης (Androm. 447).

Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια.)

Ad quod respondet ille, inepti estis, qui pacem recusetis ob simultatem, non enim de Lacedaemoniis, sed de pace et vestra salute res est (Ach. 305.)

ὠγαθοὶ τοὺς μὲν Λάκωνας ἐκποδὼν ἐάσατε
τῶν δ'ἐμῶν σπονδῶν ἀκούσατ' εἰ καλῶς ἐσπεισάμην.

Quamquam, ait, ne id quidem credo Lacedaemonios (οἷς ἄγαν ἐγκείμεθα) omnium malorum esse auctores sed etiam Athenienses culpae non esse expertes arbitror. Quibus verbis inauditis Acharnenses vehementer irascuntur (vs. 315).

τοῦτο τοὔπος δεινὸν ἤδη καὶ ταραξικάρδιον
εἰ σὺ τολμήσεις ὑπὲρ τῶν πολεμίων ἡμῖν λέγειν.

Quamvis erat periculosum Lacedaemoniis favere quod prope erat idem ac populi dominationi adversari eo inprimis tempore, cum insuper accessisset odium bello ortum, tamen Dicaeopolis, capite in trunco lanionis posito, quo periculum ostenderet poeta, sententiam suam de bello et hostibus dicere ausus est in scena. Libere causam agit (vers. 369).

λέξω δ' ὑπὲρ Λακεδαιμονίων, ἃ μοι δοκεῖ
καίτοι δέδοικα πολλά. τούς τε γὰρ τρόπους
τοὺς τῶν ἀγροίκων οἶδα χαίροντας σφόδρα
ἐάν τις αὐτοὺς εὐλογῇ καὶ τὴν πόλιν
ἀνὴρ ἀλαζὼν καὶ δίκαια κἄδικα.
κἀνταῦθα λανθάνουσ' ἀπεμπολώμενοι.

Quamvis populo sint odiosa quae dicat, quantumque periculum dicendo in suum contrahat caput, tamen se vera et justa elocuturum profitetur.

ἐγὼ δὲ λέξω δεινὰ μὲν δίκαια δέ.

Inde sequitur oratio, quae e sententia poetae eo consilio habita esse videtur, ut civium animi mitigarentur,

quos nimia occaecabat prava simultas. Iure quidem, ait Dicaeopolis, odimus Lacedaemonios, qui nostros agros vastarint; non tamen oportet adeo irae indulgere, ut paci i. e. patriae saluti viam obstruamus; neque arroganter putare nos sine culpa esse, qui eadem passi, eadem fecissemus. Pro certo habetote ingentem tumultum ortum fore Athenis, si quis Lacedaemoniorum catellum Seriphiorum (parvae insulae incolarum) indicatum vendidisset i. e. si nostrorum sociorum minimum minima affecissent iniuria illi quorum in socios, inprimis Megarenses nos tam graviter peccavimus.

ταῦτ' οἶδ' ὅτι ἂν ἔδρατε
νοῦς ἄρ' ὑμῖν οὐκ ἔνι.

Nam dementia captos Athenienses decretum Megarensium non abolevisse censet, quo bellum prohibere potuissent, et postea pacem recusasse quam Lacedaemonii offerrent, quamobrem Dei irati sedes reliquerant, ut comice fingit in Pace, easque habitandas dederant bello. (Pac. 211).

ὅτι ἡ πολεμεῖν, ᾑρεῖσθ' ἐκείνων πολλάκις
σπονδὰς ποιούντων.

Si victoria esset reportata pacem contemptim repudiare solebant Athenienses insana gloriae cupidine impulsi, ut legimus in Pace (vers 215).

εἰ δ' αὖ τι πράξαιτ' ἀγαθὸν ἀττικωνικοὶ
κἆλθοιεν οἱ Λάκωνες εἰρήνης πέρι
ἐλέγετ' ἂν ὑμεῖς εὐθὺς ἐξαπατώμεθα
νὴ τὴν 'Αθηνᾶν νὴ Δί' οὐχὶ πειστέον.

Eiusdem arrogantiae exemplum invenimus in Equitibus, ubi senatus legatos de Pace adesse certior factus laeto nuntio accepto exsultans exclamat (Eq. 671):

νυνὶ περὶ σπονδῶν, ἐπειδή γ'ὦ μέλε
ᾔσθοντο τὰς ἀφύας παρ'ἡμῖν ἀξίας;
οὐ δεόμεθα σπονδῶν. ὁ πόλεμος ἑρπέτω.

Quibus tangit poeta animos leves, qui facillime ad bellum moveri possent levissimis argumentis modo suae voluptati mos gereretur.

Inprimis plebecula quae nil, quod perderet, habebat, bello gaudebat quod ob Cleonis largitiones nullo labore vexata vitam degeret. Quum tamen Cleone mortuo, paci essent animi propensiores Athenienses mobili ingenio non minus vehementer pacem desiderarunt, quam antea repudiaverant, quo mihi videntur spectare verba Trugaei, pacem e latebris protrahentis: (Pac. 322)

τί πάσχετ' ὤνδρες; μηδαμῶς πρὸς τῶν θεῶν
πρᾶγμα κάλλιστον διαφθείρητε διὰ τὰ σχήματα

Utriusque populi ingenia facete describuntur in Pace (v. 218), ubi legimus: Lacedaemonios quoque, quantulam victoriam reportassent, statim jactare solere: ναὶ τὼ σιὼ, νῦν ὠττικίων δωσεῖ δίκαν. Quid contra Athenienses dicerent, iam supra vidimus. Apud utrumque victoria reportata de Pace actum esse solebat. Statim prava ducti ambitione majora capessebant, quamquam pacem aequam facere liceret. Agnoscit hanc arrogantiam civium Trugaeus: (v. 230)

ὁ γοῦν χαρακτὴρ ἡμεδαπὸς τῶν ῥημάτων

et insuper testem habet Thucydidem, narrantem Athenienses Sphacteria capta maiora captasse (μειζόνων ὠρέγοντο) et saepe legatos infecta re domum rediisse (καὶ πολλάκις φοιτώντων αὐτοὺς ἀπράκτους ἀπέπεμπον). Constat quoque Lacedaemonios post defectionem Scionae rem iure dirimere voluisse, quum jam anno 423 de pace agi coeptum esset; sed Cleone auctore denuo bellum gerere Atheniensibus placuit. Itaque poeta indignatus insana gloriae cupidine quae rempublicam perderet obiicit populo quod non primam arripuerit occasionem pacis faciundae, sed demagogis inservientes, bellum protrahi passi sint.

Non nisi deorum auxilio saepissime respublica effugit pericula, quae propter temeraria consilia et populiscita ei imminebant (cfr. Nub. 587, Ecil. 475, Eq. 1055, ubi tangitur populi δυσβουλία).

Nimis undique notum est Atheniensium ingenium, quam quod dubitemus quin recte tangatur a poeta, iure cum metueret, ne civium peccata rempublicam everterent. Quod ipse expertus (Acharn. 630).

διαβαλλόμενος δ' ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐν Ἀθηναίοις ταχυβούλοις
ἀποκρίνεσθαι δεῖται νυνὶ πρὸς Ἀθηναίους μεταβούλους.

profitetur (Ach. 633) se id agere, ut moneat cives, ne nimis indulgeant levitati, qua demagogi, legati aliique abutantur. Nonne, ait, optime de republica meretur poeta, qui populo penes quem summa potentia, dare solet optima consilia, ut spretis dolis et blandimentis, χαυνοπολῖται esse desistant si de reipublicae salute agatur.

Erat vanitas populi magno civitati malo. Nam si

legati sociorum ut aliquid impetrarent subblandiendo Athenienses appellarent ἰοστεφάνους statim his coronis intenti sedebant, ut iocose dicit poeta (Ach. 638) ἐπ' ἄκρων τῶν πυγιδίων, aut si quis Athenas tamquam aphuas, pingues vocaret, talibus blandimentis delectatus populus, quidquid cuperet, ei concedebat. Idem vitium in Vespis quoque exagitat, ubi ille Cleonis amicus (Φιλοκλέων), quem omnium huiuscemodi in scena traducit typum, se omnium dominum esse iactat (Vesp. 517); nam pro certo habet, iurisdictionem regno non esse inferiorem. Nonne viri magni et robusti iudices metuunt tamquam dominos? Quae ipsa est vanitas illorum, qui lubenter saeviant in illos, quos antehac potentiores metuerent et quibus ditioribus inviderent (Vesp. 563) (590—600) [1].

φέρ' ἴδω τί γὰρ οὐκ ἔστιν ἀκοῦσαι θώπευμ' ἐνταῦθα δικαστῇ
ἆρ' οὐ μεγάλη τοῦτ' ἔστ' ἀρχὴ καὶ τοῦ πλούτου καταχήνη;

Gaudet populus iudex quod senatus et populus, si qua de re dubitent eam ad iudices remittant (v. 590). Turpissime nobis ut placeant serviunt splendidissimi viri (τἀμβάδια ἡμῶν περικωνοῦσι v. 600).

Poeta igitur videns haec populi vitia, a demagogis male usurpata, imminere omnium saluti, profitetur se numquam destiturum pugnare contra pestem in republica

---

[1]) Iuvat citare Claudian. in Eutrop. I. 181:
Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.
Cuncta ferit, dum cuncta timet desaevit in omnes
Ut se posse putent.

seque semper quamvis mordacia quae vera sint ante oculos positurum civium.

οὐ θωπεύων οὐδ' ὑποτείνων μισθοὺς, οὐδ' ἐξαπατύλλων
οὐδὲ πανουργῶν οὐδὲ κατάρδων, ἀλλὰ τὰ βέλτιστα διδάσκων

adversabitur illis qui vociferantes (Vesp. 666).

οὐχὶ προδώσω τὸν Ἀθηναίων κολοσυρτόν,
ἀλλὰ μαχοῦμαι περὶ τοῦ πλήθους ἀεί

nihilominus populum et rempublicam pessumdant et verum rerum statum patefaciet civibus, ne specie decepti falsa pro veris habeant (Vesp. 655—723).

Quaecunque, ait contra me machinetur Cleon, semper summa cum diligentia civium meorum saluti consulam (Acharn. 659).

τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον
ξύμμαχον ἔσται.

Iam necesse erit de iurisdictione, populi omnium maximo vitium fonte paullo latius disserere.

Democratiae initio erant fines, quos postea excessit. Quamquam summa rerum penes universum erat populum, tamen magistratus et iurisdictio erant nobiliorum; sed non multo postquam Athenienses aeternam gloriam sibi compararunt, ab universa Graecia barbariem defendentes, omnibus ordinibus ius honorum et iurisdictio sunt delata. Sic multitudini potentia est concessa, quae male usurpata optimates ditiores maxime vexaret, quos plebecula naturali quodam odio persequi solet; de qua re verissime dicit Platonius Grammaticus, *de variis comoediarum ge-*

neribus: ἴσμεν γὰρ ὡς ἀντίκειται φύσει τοῖς πλουσίοις ἐξ ἀρχῆς ὁ δῆμος καὶ ταῖς δυσπραγίαις αὐτῶν ἥδεται.

Quotannis Athenis sex mille iudices sorte ducebantur, qui in partes divisi de diversis causis iudicarent. Quicunque reus dives an pauper civis an socius, his coram iudicibus suam causam agere debebat. Quo factum est, ut plebeculae ineptae, suam potentiam pro regno, se ipsam pro rege habentis, cuius omnes gratiam quaererent arrogantia maxime increverit.

Quo autem tempore iudicibus nulla dabatur merces, plebs abstinebat iurisdictione, et tantum solebant in iudiciis sedere, quibus inde victum quaerere non esset necesse.

Simulac tamen Pericles, multitudinis dominationi favens, quae sibi auxilio esset contra optimates, iudicibus mercedem solvere coepit, statim praeter potentiae speciem lucri quoque cupido cives omnes invasit et mox vicibus mutatis nobiliores plebeculae cesserunt.

Quicunque igitur demagogus populi studia magis in se vertere vellet, mercedem auxit, ut sic plebecula secura in comitiis et tribunalibus adesset, ipse inertem multitudinem ex lubidine posset moderari. Quantopere civibus pauperibus talis placeret condicio, a poeta lepide exponitur in Vespis (cfr. 605—620); honestioribus contra fuerit invisa, luce clarius videtur.

Sycophantae enim populo opimam praedam quam saepissime afferre solebant, ut ipsi quaestum sibi facerent et plebs arrogantiae et vanitati indulgens contra optimum quemque civem aut socium saeviret; socii quoque qui Athenis causas agere debebant, saepe populi saevitiam in

iudiciis experti sunt. Affluebat urbs calumniatoribus, quos statim dissoluta democratia condemnatos esse supra vidimus.

Eos poeta identidem acriter tangit:

Ab iis dissidium inter Athenienses et Megarenses initium cepisse arguit Dicaeopolis (Ach. 515).

ἡμῶν γὰρ ἄνδρες, οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω
ἀλλ' ἀνδράρια μοχθηρὰ, παρακεκομμένα
ἄτιμα καὶ παράσημα καὶ παράξενα
ἐσυκοφάντει Μεγάρεων τὰ χλανίσκια.

De eadem re dicit Megarensis quidam, a Dicaeopoli in forum admissus, ubi videt sycophantam appropinquantem (Ach. 821):

τοῦτ' ἐκεῖν' ἵκει πάλιν
ὅθενπερ ἀρχὰ τῶν κακῶν ἁμῖν ἔφυ.

Illi imprimis reipublicae saluti officiebant et cives sociosque bonos et otiosos (ἀπράγμονας) (Pac. 1040) vexabant. Praeter alios a poeta accusantur Cleon et Hyperbolus, quod calumniis adversarios urgerent, ut simul plebis lubidini satisfacerent (Eq. 435. seqq. 258. seqq. Acharn. 846. Pac. 654). Gràviter increpat chorus Cleonem in Equitibus. 258.

ἐν δίκῃ γ' ἐπεὶ τὰ κοινὰ πρὶν λαχεῖν κατεσθίεις
κἀποσυκάζεις πιέζων τοὺς ὑπευθύνους, σκοπῶν
ὅστις αὐτῶν ὠμὸς ἐστὶν ἢ πέπων ἢ μὴ πέπων.
καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν
πλούτιος καὶ μὴ πονηρὸς καὶ τρέμων τὰ πράγματα.

Nusquam tamen acrius universum sycophantarum genus conficit eorumque pravitatem carpit quam in Acharn. (vers. 936) ubi unus ex iis in Boeotum absurdissimam defert accusationem, quod ellychnia hostilia importaverit, ex quibus unum, blattae impositum vento secundo inmissurus sit in navalia, ut naves succendat.

Lubenter Dicaeopolis tale scelus,

ᾧπερ πίθακον ἀλιτρίας πλέων.

in sacco illigatum dono dat Boeoto, ut secum domum auferat et urbem liberet omnium malorum causa. (Ach. 936).

πάγχρηστον ἄγχος ἔσται
κρατὴρ κακῶν, τριπτὴρ δικῶν
φαίνων ὑπευθύνους λυχνοῦ =
χος καὶ κύλιξ
τὰ πράγματ' ἐγκυκᾶσθαι.

Quamobrem simulac populus sanam mentem recuperavit, eum pollicentem facit poeta (cfr. Plut. 877).

κἂν εἰσίῃ τὶς Κτησίας ἢ συκοφάντης ἄλλος,
οἰμώζων καθεδεῖται.

Verum non erat populi hoc malo civitatem liberare, sed populi dominatione post Athenas captas eversa, triginta viri, statim coeperunt condemnare et pessimis exemplis punire sycophantas, qui ut expellantur poeta in fabulis ante Niciae pacem actis jam strenue suadet, quod reipublicae saluti maxime obstarent.

De prava iurisdictione imprimis queruntur senes in

Acharnensibus, aegre ferentes, quod populus patiatur, eos qui pro patriae salute fortiter dimicarint (v. 674) a iunioribus impune derideri et contemni in iudiciis.

ὑπὸ νεανίσκων ἐᾶτε καταγελᾶσθαι ῥητόρων.

A garrula iuventute adeo urgentur senes, ut unus ex iis moesto ore exclamet:

οὗ μ' ἐχρῆν σορὸν πρίασθαι, τοῦτ' ὀφλὼν ἀπέρχομαι.

Qui antehac hostes fugarint ad Marathonem, queritur chorus, nunc ipsi rei fugiunt in iudiciis (696) accusati a Marpsia, Cephisodomo et Cleiniae filio novae doctrinae sophistarum operam dantes, senectutem et virtutem bellicam iam non reverentes. Nonne Thucydides, venerabilis ille senex, magno cum nostro dolore a quodam Cephisodomo (λάλος ξυνήγορος, garrulus causidicus) reus factus condemnatus est? Quod profecto non factum esset quum adhuc optimatium dux Pericli adversaretur.

(Notum est e vita Periclis apud Plut. Thucydidem a[o] 444 ostracismo in exsilium esse missum, unde postea revocatus praetor erat in bello Samio. Videtur iterum condemnatum esse, ad quod spectant ea quoque quae leguntur Vesp 946 (cfr. Schol. ad l.)

Apparet poetam hic tangere populi iurisdictionem quae faceret, ut optimus quisque condemnaretur, insolentissimus quisque et callidus impune saeviret. Nam quum populus mercede et invidia stimulatus ius diceret iam nulla erat securitas et auxilium iis, quos demagogis iudicibus tradere placeret et sycophantae, quorum auctoritatem plebs sequi

solebat, facillime ea iudice quemcumque adversarium amovebant.

Quem rerum statum inprimis optimates tolerare non potuerunt, qui quum iam nihil valerent in republica, summam plebis potentiam male experti sunt, quae, tamquam canis venaticus demagogis incitantibus in praedam insileret. (Vesp. 705 Vesp. 240 seqq.)

Itaque non dubitandum mihi videtur, quin, coniuncti illis sodaliciis (*ἑταιρεῖαι*) quae notissimae sunt in Graeciae historia sed quorum publica facta tunc temporis non commemorantur, clam omnia fecerint, ut finem imponerent licentiae plebis. Eorum propositum maximam partem congruisse cum iis, quae de republica dicit poeta, pro certo habeo. Ex optimatium igitur sententia facit poeta, ubi pacem cum summa industria suadet eo consilio, ut ingens multitudo pauperum urbem relinquat, quae, nullo labore occupata demagogis obsequens, bonis esset molestissima. Sic enim populi moderatorum pars potentiae, quae numero valeret, tolleretur et plebs, destituta ducibus et mercede, quam accipiebant e publico mox abstineret republica, si inde quaestum facere non posset (cfr. Vesp. 605, 606).

Ut igitur in Equitibus, cui fabulae ipsum nomen inscribitur eorum, qui secum stabant, eam democratiae formam acriter perstringit, quae valde displiceret *τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς* et in Pace aliisque fabulis ea inprimis suadet, quae bonis utilissima forent, sic in fabula, cui „Vespae" titulus, tangit populi vitium, quod non minus mores corumperet, quam bonum quemque vexaret. Omnia adhibet ut populo planum faciat, iurisdictionem, quam

pro regno habet revera esse servitutem, qua teneatur a demagogis. Bdelucleon enim filius qui Cleonem odit, quod eius artes perspicit, enucleate exponit patri populum ludibrio haberi, qui ut serviat pravis consiliis mercedem exiguam accipiat. Nihil aptius opinor, ad plebis animos contra demagogos sollicitandos et taedium movendum potentiae, quae a servitute non discrepabat.

Anno autem 422 quo festis Lenaeis fabula acta est, iam pacis desiderium creverat. Proximo enim anno, cum iam de ea agi coeptum esset, duarum urbium defectio optimam praebuerat opportunitatem Cleoni iisque, quibus bellum necessarium, pacis dissuadendae, quamquam Lacedaemonii parati erant rem iure dirimere (Thuc. IV. 122).

Rursus populus audiens fuerat dicto eius moderatorum, quam maxime possent paci obstantium. Quae cum ita sese haberent, denuo conatur poeta ut demagogorum auctoritatem obtrectet. Personam fingit, Philocleonem, cuius nomen iam arguit civem Cleonem pro viro optimo de republica merito habentem quod mercedem auxerit (cfr. vers. 196), unum ex iis ad quos spectant illa Theramenis „ὅτι δραχμῆς τὴν πόλιν ἀποδίδονται" quos furor iudicandi invasit quem poeta acriter perstringit et cui malo mederi cupit, non ignorans morbum curatu difficillimum fore inveteratum idemque aegro gratissimum (Vesp. 650).

χαλεπὸν μὲν καὶ δεινῆς γνώμης καὶ μείζονος ἢ 'πὶ τρυγῳδοῖς ἰάσχσθαι νόσον ἀρχαίαν ἐν τῇ πόλει ἐντετοκυῖαν.

In ea fabula totus est poeta in populo ad meliorem

frugem revocando a turpissimus studiis, quibus deditus veteratoribus obsequatur. Honestis te crede civibus, ait, quod si facias, fructus carpes, unde nunc tui duces sibi quaestum faciunt, ex iis, quae tu (ἐλαύνων καὶ πεζομαχῶν καὶ πολιορκῶν) magno cum tuo labore tibi comparasti eo tempore, quum ἀπράγμων ὁ δῆμος sapienter a republica et iurisdictione abstinens gloriam aeternam adeptus est in bello praeclarissimo, neque aculeis suis (ut dicit Vesparum chorus) utebatur, ut reos vexaret, sed ad hostem communem cum universae Graeciae laudibus propulsandum. Ex animi sententia et sincera antiquae gloriae admiratione quamvis multis ridiculis, ut in comoedia, insertis scripsisse mihi videtur poeta, quae leguntur in Vesp. (Parab. 1076 seqq.) ut coram civibus suae aetatis majorum caneret laudem:

Ἀττικοὶ μόνοι δικαίως εὐγενεῖς αὐτόχθονες
ἀνδρικώτατον γένος καὶ πλεῖστα τήνδε τὴν πόλιν
ὠφελῆσαν ἐν μάχαισιν, ἡνίκ' ἦλθ' ὁ βάρβαρος.

Quamvis ridicula pugnae ad Marathonem descriptio tamen multa continet, quae acriter aequalium vitia, malorum reipublicae causas exagitent. Deorum auxilio freti (ait chorus) non uti nunc humano solo consilio, maiores, nondum sophistarum praeceptis corrupti [1]), neque ob

---

1) Hic sensus e verbis ξὺν θεοῖς excuti posse mihi videtur quum poeta in fabula „Nubes" inscripta, acriter invehatur in homines illos, qui sua doctrina efficerent, ut populus fidem in diis ponere desisteret. Perspicit poeta plebem cum antiqua religione, animi fortitudinem quoque amissuram.

prava studia nequissimis viris obnoxii, fortiter de salute patriae dimicarunt.

ὑπὸ δὲ τῶν τοξευμάτων οὐκ ἦν ἰδεῖν τὸν οὐρανὸν
ἀλλ' ὅμως ἐωσάμεσθα ξὺν θεοῖς πρὸς ἑσπέραν.
γλαῦξ γὰρ ἡμῖν πρὶν μάχεσθαι τὸν στρατὸν διέπτατο

Quo factum est, ut tunc temporis Athenienses ab omnibus metuerentur.

ἆρα δεινὸς ἦν τόθ' ὥστε πάντα μὲ δεδοικέναι
καὶ κατεστρεψάμην
τοὺς ἐναντίους, πλέων κεῖσε ταῖς τριήρεσιν.

Multis enim urbibus et insulis captis, undique Athenas affluebant tributa, quibus nunc inquit chorus, iuniores fruuntur. Nam oratores vi eloquentiae fallacis regnantes, publicam pecuniam avertunt et dona accipiunt a sociis, qui videant revera potestatem esse apud illos non penes populum. (cfr. Eq. 1319, Pac. 639, 644. Eq. 802.) Sic dissolvitur imperium, quod Cimone aliisque ducibus Athenienses adepti sunt post res praeclare gestas ad Mycalen et Salaminem. Quos ipsi maximam partem in libertatem vindicarant, socii iam desciscere coeperant ad Lacedaemonios prae se ferentes socios liberaturos gravi iugo, quod Cleone et aliis eiusmodi auctoribus imponeretur, quum olim maiores et ipse Pericles sapienter et leniter tractarent socios, quibus inprimis Atheniensium nitebatur respublica ut luculenter explicat Diodotus ille in oratione contra Cleonem habita (Thuc III, 46, 47 cfr. etiam Thuc I, 143 *τὰ τῶν ξυμμάχων, ὅθεν ἰσχύομεν*). Ex iis,

quae apud Aristophanem legimus de sociis colligi potest eum quoque nimiam duritiam in socios inprobasse non solum quod a vera humanitate abhorreret, sed etiam quia imperio non nisi nocere posset.

Nempe in Babyloniis, cuius fabulae fragmenta sola supersunt videtur coram sociis in scena traduxisse condicionem, qua tunc civitas uteretur, ut sociis quam maxime importunam, quae audacia, ut notum est statim Cleonis movit iram (cfr. Acharn. 642).

In Pace gloriatur animi sui virtute, qua Cleoni pro patria et insulis restiterit (759).

τοιοῦτον ἰδὼν τέρας, οὐ κατέδεισ' ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν πολεμίζων ἀντεῖχον ἀεὶ καὶ τῶν ἄλλων νήσων.

Mitiores ut sint animi civium erga socios palam suadet (Pac. 935).

καὶ τἄλλα γ' ὦσιν ἤπιοι
ὥστ' ἐσόμεθ' ἀλλήλοισιν ἀμνοὶ τοὺς τρόπους,
καὶ τοῖσι συμμάχοισι πρᾳότεροι πολύ.

Postremo naves quae ad nummos exigendos emittebantur in socios, poetae valde displicuisse satis apparet (Eq. 1070).

οὐ τοῦτο φησὶν, ἀλλὰ ναῦς ἑκάστοτε
αἰτεῖ ταχείας ἀργυρολόγους οὑτοσί.
ταύτας ἀπαυδᾷ μὴ διδόναι σ' ὁ Λοξίας.

At redeamus ad Vespas. Iisdem aculeis quibus antehac Graeciae hostes vicerint Athenienses nunc cives et socios stimulant in iudiciis spe exiguae mercedis

(πάντα γὰρ κεντοῦμεν ἄνδρα κἀκπορίζομεν βίον)
quam accipiunt a demagogis, qui veluti fuci (κηφῆνες) nullo labore aut periculo tributa publica avertunt, quod quidem turpissimum quippe qui neque remum, neque hastam umquam pro patriae salute tetigerint. Operam perdidit populus in comparando, quibus alii, veteratores fruerentur. Quae sit igitur causa, cur tempus actum ita discrepet a conditione hodierna, si quis roget respondet poeta (vers. 1094 seqq.).

οὐ γὰρ ἦν ἡμῖν ὅπως
ῥῆσιν εὖ λέξειν ἐμέλλομεν τότ' οὐδὲ
συκοφαντήσειν τινά
φροντὶς, ἀλλ' ὅστις ἐρέτης ἔσοιτ' ἄριστος.

Perniciosissima enim reipublicae videtur poetae illa nova eruditio, quae cives res doceret inutilissimas, quum antea tales nugas non curarent, sed iis rebus operam darent, quibus patriam in periculo tuerentur. Est sententia viri qui conspiciens temporis sui vitia desiderat tempus actum quo antiqua virtus quamvis rudis floreret cum gloria reipublicae. Aliunde quoque apparet, poetam omnia fecisse, ut civium animos a pravis studiis ad mare verteret, quum videret eos re maritima neglecta incumbentes nugis quae reipublicae nocerent. Nunquam desinit coram spectatoribus laudem canere illius aetatis, qua maiores classe gloriam et imperium sibi paraverant. Ipsam pacem non impetrari posse perhibet, nisi Athenienses a iurisdictione qua serviant demagogis, ad mare oculos vertant, imperiumque tueantur. Si ad remos redirent, mox resiperent (Pac. 503).

καὶ τοῖς Ἀθηναίοισι παύσασθαι λέγω
ἐντεῦθεν ἐχομένοις ὅθεν νῦν ἕλκετε
οὐδὲν γὰρ ἄλλο δρᾶτε πλὴν δικάζετε
ἀλλ' εἴπερ ἐπιθυμεῖτε τήνδ' ἐξελκύσαι
πρὸς τὴν θάλατταν ὀλίγον ὑποχωρήσατε.

Omnes quibus urbis gloria cordi esset eiusdem fuisse sententiae, extra controversiam est et ipsa historia testatur. Themistocles et Pericles duo viri, optime meriti de sua patria, recte videbant Athenienses mari omnium fore superiores. Quare ille suadebat, ὅτι ἀνθεκτέα τῆς θαλάττης; hic in oratione ante bellum ortum habita censet ante omnia classem esse ornandam, qua Lacedaemonios superent (cfr. Thuc. I, 142) et socios a defectione prohibeant, quorum tributis opes publicae niterentur (cfr. c. 143) (cfr. etiam orationem Proclis Phliasii in historia Graeca Lib. VII, 1).

Itaque Aristophanes antiquae gloriae memor consilium dat maioris mercedis solvendae classicis, potius quam illis mercenariis, qui tunc temporis in Graeciam coeperant confluere. Aegre fert Dicaeopolis milites Odomantes barbaros conducticios duas drachmas accepturos, quum classico militi una tantum solvatur (Ach. 83)

ὑποστένοι μέντἂν ὁ θρανίτης λεώς (cfr. Eq. 1066).

In Equitibus Agoracritus populo obiicit, quod potius oratorum blanditias audiverit quam rem maritimam curaret (Eq. 1350).

καὶ νὴ Δί' εἴ γε δύο λεγοίτην ῥήτορε
ὁ μὲν ποιεῖσθαι ναῦς μακρὰς ὁ δ' ἕτερος αὖ
καταμισθοφορῆσαι τοῦθ' ὁ τὸν μισθὸν λέγων
τὸν τὰς τριήρεις παραδραμὼν ἂν ᾤχετο.

Qua gravi accusatione afflictus populus convictus culpae (Eq. 1355).

αἰσχύνομαί τοι ταῖς πρότερον ἁμαρτίαις

Nam solebat vera patriae salus postponi blandis verbis et speciosis, quae lucrum pollicerentur; oracula de rebus quae stupidissimo soli essent credibilia magis placebant quam ea, quae spectarent ad reipublicae commoda. Quamobrem insiciarius, qui Cleonis adversarius utilia suadet (Eq. 1064).

ἀλλ' οὑτοσὶ γάρ ἐστι περὶ τοῦ ναυτικοῦ
ὁ χρησμὸς ᾧ σε δεῖ προσέχειν τὸν νοῦν.

Praeterea multa occurrunt in fabulis in laudem classis eiusque ducum. In choro (Eq. 540 seqq.) laudantur Neptunus et maiores quorum viribus coniunctis civitas deberet vigorem; Phormio, qui victoriis in sinu Corinthiaco (Thuc. II. 83, 84, 86—92) antiquam gloriam vindicaverat non nisi honoratissime a poeta commemoratur, quamquam vir militaris non minus bello favebat, quam paci poeta.

Talis enim dux dignus erat, qui classi praeesset; verum si Hyperbolus ille centum naves a republica quaerat, ut faciat expeditionem in Carthaginem, qualem solus insanus demagogus excogitare posset, rem non tolerarent triremes. Praedicant se putescere malle in loco, ubi sint, aut confugere ad aram Thesei, quam talem pati ducem (Eq. 1300—1315).

οὐ γὰρ ἡμῶν γε στρατηγῶν ἐγχανεῖται τῇ πόλει.

Usque adhuc classi et exercitui praefuerant Phormio, Nicias, aliique viri rerum periti. Cum autem darentur primo cuique iactanti, se victoriam reportaturum et Atheniensibus imperium de orbe terrarum pollicenti (Eq. 1086—1090) ut Cleoni cuius expeditionis successus inexpectatus immo inoptatus adversariis (cfr. Thuc. IV, 28) solis diis deberetur, qui rempublicam non funditus perditam vellent (Nub. 587—589. Eccl. 475) mox de patriae gloria et imperio actum fore, putat poeta. Aliis quoque locis increpat insanum studium prolatandi imperii fines, quod a demagogis aliisque bellicosis ita accensum esse videtur, ut Athenienses iam Carthaginem in suam potestatem redigere cuperent (cfr. Eq. 172—174 Thuc. 6, 15, 90 Plut. Per. 20).

Quum postea expeditio, ambitione Atheniensium digna, successu caruit iam satis poenas dederunt vitii, quod poeta vituperat et in Avibus lepidissime et mordacissime paroediatur.

Aliud quoque vitium erat perniciosissimum reipublicae. Quae enim aviditas omnes incesserat, maiores non tenebat, qui omnia facerent, ut reipublicae augerent gloriam; tunc quisque non suas sed res publicas curabat (Eq. 565):

εὐλογῆσαι βουλόμεσθα τοὺς πατέρας ἡμῶν, ὅτι
ἄνδρες ἦσαν τῆσδε τῆς γῆς ἄξιοι καὶ τοῦ πέπλου
οἵτινες πεζαῖς μάχαισιν ἔν τε ναυφράκτῳ στρατῷ
πανταχοῦ νικῶντες ἀεὶ τήνδ' ἐκόσμησαν πόλιν.

Patriae amore, ait chorus non uti nunc lucri spe tantum impulsi pro reipublicae salute strenue pugna-

bant. Hodie contra dux negat se pugnaturum, nisi praemia ferat.

καὶ στρατηγὸς οὐδ' ἂν εἷς
τῶν πρὸ τοῦ σίτησιν ᾔτησ' ἐρόμενος Κλεαίνετον
νῦν δ' ἐὰν μὴ προεδρίαν Φέρωσι καὶ τὰ σιτία
οὐ μαχεῖσθαί Φασιν.

Quam turpem aviditatem Equites poetae socii detestantes palam profitentur se usque maiorum mores, quibus urbs aucta sit, observaturos.

ἡμεῖς δ' ἀξιοῦμεν τῇ πόλει
προῖκα γενναίως ἀμύνειν καὶ θεοῖς ἐγχωρίοις.

Nullum nos petimus praemium, iocose addunt, nisi ut nobis liceat capillos promittere et lavari.

Soli erant Equites et nobiliores, qui rempublicam contra effrenatam populi licentiam tueri possent, et ipsi sapientes et boni regno stupidae plebis et demagogorum tyrannidi finem imponerent, si populus nova vitia omitteret et rediret ad pristinam modestiam.

Non potest fieri, quin ea, quae a°. 411 et postea Athenis facta sunt poetae non displicuerint, quamquam aliunde e fabulis apparet eum pariter lubidinem oligarchicam, quae cives opprimeret ac licentiam plebis, improbasse. Desiderat tempus actum quo sub moderata populi dominatione viri praeclari et rerum periti rempublicam administrarent.

Salutem censet ab iis solis expectandam, qui omissis privatis studiis civitatis tantum commodis consulant, quorum auctoritas statim desinat simulac a plebe servili et

avida summa potentia de se data sit viris nequissimis, qui odium, quasi natura inter nobiles et plebem existens, ideo magis accendant, ut ipsi libere saeviant et rempublicam disturbent.

Probe enim scientes populum ad omnia credenda pronum esse semper in ore habebant accusationem coniurationis contra populi regnum (*ἡ κατάλυσις τοῦ δήμου*) ut factionem optimatium suspectam redderent.

Sic Cleon auxilium implorans iudicum, qui ob mercedem ei erant coniunctissimi, exclamat (Eq. 257):

παραβοηθεῖθ' ὡς ὑπ' ἀνδρῶν τύπτομαι ξυνωμοτῶν.

et v. 475 minatur Equitibus:

„Statim ad senatum referam de omnium vestris coniurationibus et nocturnis conventibus et quod cum Medis et rege aut Boetia faciatis contra salutem populi"

Primum in scenam prodeuntis Paphlagonis haec sunt verba (Eq. 235):

οὔ τοι μὰ τοὺς δώδεκα θεοὺς χαιρήσετον
ὁτιὴ 'πὶ τῷ δήμῳ ξυνόμνυτον πάλαι.

Chorus quoque in Vespis iratus Bdelucleonem conviciis proscindens, quod patrem iudicare prohibeat, dicit (Vesp. 344):

οὐ γὰρ ἄν ποθ'
οὗτος ἀνὴρ τοῦτ' ἐτόλμησεν λέγειν εἰ
μὴ ξυνωμότης τις ἦν.

et Cleonis auxilium invocat (Vesp. 410):

ὡς ἐπ᾽ ἄνδρα μισόπολιν [1])
ὄντα κἀπολούμενον
ὅστις λόγον τόνδ᾽ εἰσφέρει
ὡς χρὴ μὴ δικάζειν δίκας.

Statim suspicionem in se contrahebat quicunque adversaretur studiis populi; nam populus inprimis metuebat, ne potentiam qua viveret et gloriaretur amitteret et praecavebat ne optimates, simulac pateret occasio, iurisdictionem aliaque iura sibi eriperent, quod quidem anno 404 factum est, hostium praesidiis contra populum invocatis. Recte igitur Vesparum chorus in suspicionem vocat Bdelycleonem, contra populi gratissimum ius verba facientem (Vesp. 463):

ἆρα δῆτ᾽ οὐκ αὐτὰ δῆλα
τοῖς πένησιν, ἡ τυραννὶς
ὡς λάθρᾳ γ᾽ ἐλάμβαν᾽ ὑπιοῦσά με.

et perhibet: si tu Bdelycleon, omnium sceleratissime, capillis promissis uti Equites (cfr. Eq. 500) nos legibus uti prohibes, quas ipsa urbs instituit nullum argumentum probabile afferens, haud dubium, quin ipse regnare gestias (v. 486):

ὅστις ἡμῶν ἐπὶ τυραννίδ᾽ ὧδ᾽ ἐστάλης.

Utilissima consilia, si privatis populi commodis non satisfacerent, statim suspecta erant, neque sine periculo dabantur, quum auctor sacrosanctam populi dominationem obtrectare videretur. Quid enim significet ξυνωμό-

---

1) Ubi propter metrum potius legatur μισόδημον.

ται, luce clarius est et recte interpretatur Schol. ad Vesp. 343:

(*ξυνωμότας δ' ἔλεγον τοὺς ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου*)

Praeterea extrinsecus quoque imminebat periculum populi dominationi, ne optimates cum Lacedaemoniis facientes eam everterent. Quare extemplo, si qui nimiae populi licentiae adversaretur de urbis proditione Lacedaemoniis suspicari solebant cives. Cuius rei luculentissimum habemus exemplum in Vespis, ubi in Bdelucleonem ita invehitur chorus (v. 474):

ὦ μισόδημε καὶ μοναρχίας ἐραστά
καὶ ξυνὼν Βρασίδᾳ.

Quantopere eiusmodi suspiciones, quas in quemcunque nobiliorem populus temere jacere solebat poetae displicerent, cognoscitur e vers. Vesp., ubi Bdelucleon indignabundus exclamat (Vesp. 488):

ὡς ἅπανθ' ὑμῖν τυραννίς ἐστι καὶ ξυνωμόται
ἤν τε μεῖζον ἤν τ' ἔλαττον πρᾶγμά τις κατηγορῇ
ἧς ἐγὼ οὐκ ἤκουσα τοὔνομ' οὐδὲ πεντήκοντ' ἐτῶν.

et lepide rem paroediatur: iam salsamento vilior est tyrannis, et nihil usitatius in foro piscario quam illa accusatio (v. 493):

ἢν μὲν ὠνῆταί τις ὀρφῶς, μεμβράδας δὲ μὴ θέλῃ
εὐθέως εἴρηχ' ὁ πωλῶν πλησίον τὰς μεμβράδας
οὗτος ὀψωνεῖν ἔοιχ' ἄνθρωπος ἐπὶ τυραννίδι.

Quibus verbis ridiculis nihil aptius dici posset, credo,

ad deridendum puerilem timiditatem et diffidentiam, quae nonnisi damnum possent afferre rei publicae. Hic quoque poetam civium vitium non fingere, sed tangere rem, quae revera exstabat, luculenter apparet ex iis, quae legimus apud Thucydidem (VI, 27). Nam cum Hermis deiectis ingens trepidatio Athenis est orta, res a lasciva iuventute commissa, statim suspicaci populo facta esse videbatur contra populi dominationem (*ἐδόκει ἐπὶ ξυνωμοσίᾳ ἅμα νεωτέρων πραγμάτων καὶ δήμου καταλύσεως γεγενῆσθαι.*) qua suspicione usi nequissimi viri nobiliorum civium nomina detulerint.

Ergo non effugit in Vespis Bdelycleon, patris mores ita mutare cupiens ut civis probus fiat e iudice inepto, chori acerbissimam criminationem, quod id faciat *ξυνωμότης ὢν καὶ φρονῶν τυραννικά.*

At non sine causa ad suspiciones concipiendas plebs erat prona. Notissima enim sunt illa optimatium sodalicia (*ξυνωμοσίαι ἐπὶ δίκαις καὶ ἀρχαῖς*) quae, ducibus Nicia, Phacace, et postea Alcibiade multum valebant in republica et omnia faciebant, ut suae factioni prodessent inprimis quo tempore plebis saevitia omnia turbaret. Sive clam, sive palam quoad tempora ferrent, id agebant, ut nimiam plebis licentiam coercerent, aut demagogos expellerent (notum est Hyperbolum postea a coniunctis Niciae et Alcibiadis sodaliciis ostracismo esse exactum).

Quod cum nisi bello composito fieri posset, strenue mihi, quamvis in occulto contendisse videntur, ut pax fieret et plebis regnum in comitiis et iudiciis frangeretur. Ex infimae plebis manibus iurisdictionem eripere mercede deminuta aut prorsus sublata, erat inceptum, quod belli

tempore valde periculosum, vi adhibita certe successu caruisset. Poetae soli licuit rem palam in scena agere, ubi impune ridendo posset dicere verum; vix quoque eum plebis invidiam effugisse cum tam mordacibus facetiis perstringeret, quod illi esset carissimum, satis probabile mihi videtur; quam grave suscipiat munus, iocose sed vere ipse fatetur (Vesp. 650).

Undique e fabula apparet poetam una cum optimatibus intellexisse et expertum esse, iurisdictionem plebeculae nequissimis viris obsequentis a reipublicae et bonorum civium salute maxime abhorrere eamque docuisse ut praeter spectatorum cachinnum sua acrimonia taedium moveret potentiae demagogorum, quorum auctoritate penes populum fracta sperabat fore ut pristina rediret felicitas. Quam quod nil magis placebat optimatibus, qui postea rem vi perfecerunt. Recte videbat poeta populum ad meliorem frugi non rediturum nisi pax fieret, quia populi moderatorum vim frangeret; sic enim plebs, destituta iis, a quibus aleretur, inermis sederet et mercede sublata mox rediret ad labores, unde viveret, aut certe mitiore esset animo. Quod facit poeta chorum in Pace ipsum praedicantem (Pac. 346):

εἰ γὰρ ἐκγένοιτ' ἰδεῖν ταύτην με τὴν ἡμέραν (Pacem)
οὐκέτ' ἄν μ' εὕροις δικαστὴν δριμὺν οὐδὲ δύσκολον.
οὐδὲ τοὺς τρόπους γε δήπου σκληρὸν, ὥσπερ καὶ πρὸ τοῦ.
ἀλλ' ἁπαλὸν ἄν μ' ἴδοις.
καὶ πολὺ νεώτερον.
ἀπαλλαγέντα πραγμάτων.

Ex omnibus, quos huc usque perlegimus fabulis, lucu-

lenter apparet poetam praesentem rerum statum fastidire una cum iis, quos plebis dominatio urgeret et a republica coerceret. Nam quae democratia, a Pericle aucta, toleranda fuerat, dum viri illustres sua auctoritate populi licentiam cohiberent, post Periclis mortem bello exorto eo est delapsa, ut populus, demagogorum auctoritatem secutus, cum magno reipublicae et bonorum malo saeviret, praesertim, postquam multitudo urbana aucta est turba, quae undique ex agris confluxerat et in comitiis confirmabat, quidquid rogarent oratores, in judiciis ubi temere quemcunque iudicaret lubenter utebatur potestate, quae eius vanitati satisfaceret (cfr. Vesp. 893, et 990 seqq). Cuius rei, nisi Pax fieret finis non esset. Eam igitur in omnibus fere fabulis, quam maxime potest, suadet, unde quid sibi speret de populi moribus, optime cognoscitur e fine fabulae, quae Equitum nomine inscripta est. Ibi Agoracritus populum ad pristinam modestiam redactum, in scenam producit, dicens (Eq. 1316):

εὐφημεῖν χρὴ καὶ στόμα κλείειν καὶ μαρτυριῶν ἀπέχεσθαι
καὶ τὰ δικαστήρια συγκλείειν, οἷς ἡ πόλις ἥδε γέγηθεν
ἐπὶ καιναῖσιν δ' εὐτυχίαισιν παιωνίζειν τὸ θέατρον.

Populus Athenas antiquas (*ἀρχαίας* *'Αθήνας*) ut erant vivis Themisthocle et Aristide, rebus praeclare gestis et festis diebus laetas incolens, digna faciet urbe et tropaeo ad Marathonem. (v. 1331):

ὅδ' ἐκεῖνος ὁρᾶν τεττιγοφόρας, ἀρχαίῳ σχήματι λαμπρὸς
οὐ χοιρινῶν ὄζων, ἀλλὰ σπονδῶν, σμύρνῃ κατάλειπτος.

Non amplius credet primo cuique oratori, suum amo-

rem erga populum et curam iactanti (Eq. 1843). Pudebit iam populum flagitiorum et insaniae qua captus nuper multo magis favebat oratori, qui suaderet *τὸ καταμισθοφορῆσαι* i. e. publicos nummos impendere ad mercedem populi augendam quam ille, qui de navibus longis verba faceret; verum non sua culpa id faciebat, sed a demagogis dementatus (Eq. 1356):

ἀλλ' οὐ σὺ τούτων αἴτιος, μὴ φροντίσῃς
ἀλλ' οἵ σε ταῦτ' ἐξηπάτων.

Lubenter pollicetur populus se non lucri spe et causidicorum minis impulsum innocentes reos damnaturum (v. 1357):

ἐάν τις εἴπῃ βωμολόχος ξυνήγορος.
οὐκ ἔστιν ὑμῖν τοῖς δικασταῖς ἄλφιτα
εἰ μὴ καταγνώσεσθε ταύτην τὴν δίκην.
ἄρας μετέωρον ἐς τὸ βάραθρον ἐμβαλῶ
ἐκ τοῦ λάρυγγος ἐκκρεμάσας Ὑπέρβολον.

Iusta merces non mercenariis, sed classicis militibus solvetur, quibus inprimis staret Atheniensium imperium; exercitus pedester quoque ei curae erit et diligenter cavebit, ne uti fieri solebat nomina in catalogis mutentur (v. 1369 cfr. etiam Pac. 1181).

Postremo coercebit audaciam et arrogantiam iuniorum

οὐδ' ἀγοράσει ἀγένειος οὐδ' ἐν τἀγορᾷ.

Quam quod nil melius populum facere posse, putat poeta. Utilissima erit reipublicae, si a republica abstinere cogatur illa iuventus, quae imberbis et lasciva

sophistarum praeceptis imbuta in foro arroganter de rebus publicis et viris confabularetur, quin etiam leges rogaret in concione. Quare populus promittit (v. 1383):

ἀναγκάσω κυνηγετεῖν ἐγὼ
τούτους ἅπαντας, παυσαμένους ψηφισμάτων.

Quae fuerit sententia poetae de iuventute sui temporis, sophistarum praeceptis novis erudita (Nub. 879) inprimis colligas ex ea fabula, quae ipsa scripta est, ad deridendos sophistas eorumque doctrinam carpendam ut perniciosam. Laudator temporis acti omnia improbat bona aut mala quae animos quietos moverent. Neque potest quin una cum Aristophane illi, qui pristinam virtutem desiderarent et integritatem, aegre tulerint eruditionem, qua iuvenes prius verba facere, quam arma gestare discerent (Nub. 1002—1008).

Operae pretium est conferre quibus argumentis inter se disceptent iusta et iniusta oratio (ὁ δίκαιος καὶ ὁ ἄδικος λόγος; nam quae haec contemnit tamquam antiqua et obsoleta, eadem antiquam gloriam peperisse illa perhibet (Nub. 986):

ἐξ ὧν ἄνδρας Μαραθωνομάχους ἡμὴ παίδευσις ἔθρεψεν.

Magnam partem malorum nasci e nova illa eruditione sophistarum, quae modo spectaret ad ea quae utilia, non honesta essent, quae religionem obtrectaret et omnia incerta esse tantum doceret, qua iuventus inprimis a pristina modestia degeneraret in Nubibus e sua sententia luculenter exponit poeta (Nub. 1003, 990 seqq. 1052—1054).

Praeter eum multos alios fuisse, qui idem sentirent apparet ex iis, quae legimus apud Andocidem (v. 22) *τοιγάρτοι τῶν νέων αἱ διατριβαὶ οὐκ ἐν τοῖς γυμνασίοις ἀλλ' ἐν τοῖς δικαστηρίοις εἰσὶ καὶ στρατεύονται μὲν οἱ πρεσβύτεροι, δημηγοροῦσι δ' οἱ νεώτεροι* (cfr. Acharn. 600 *ὁρῶν πολιοὺς μὲν ἄνδρας ἐν ταῖς τάξεσιν* seqq. et Isocr. VII. 48)[1]).

Notum est Andocidem, unum e decem Atticis oratoribus in partibus optimatium stetisse, et civitate amissa ob Hermas deiectas anno 411 cum eius factio superaret in patriam rediisse. Testem igitur eum habemus, quod quae poeta dixerit de novo institutionis genere, e sententia fuerint optimatium, quippe qui, ut ille, existimarent antiqua instituta et mores maiorum tantum rempublicam servare posse, nil contra perniciosius quam *γνώμας καινὰς ἐξευρίσκειν*,

τοῦτο γὰρ ἀνθεῖ διὰ τούτους τοὺς ἀνοήτους (Nub. 897)

quibus populi antea quietos animos turbarent et ad ea excitarent de quibus prius ne cogitasset quidem.

ἡ ἀπραγμοσύνη, quae virtus ante Periclem fuerat civium, magno cum malo reipublicae urbem reliquerat.

Quid igitur magis fuit e sententia poetae et optimatium quam quod Demus, vitiis, quibus rempublicam vexabat, omissis quiete ipse beatus, neque aliis molestus, aliquando diceret ut est in Equitt. (v. 1389):

μακάριος ἐς τἀρχαῖα δὴ καθίσταμαι

---

[1]) (Acharn. 716. *λάλος ὁ Κλεινιόυ* annumeratur illi iuventuti, cuius sophistarum praeceptis orta procacitas et intolerabilis arrogantia vehementer enicabant seniores.)

DE BELLO.

Silent leges inter arma.
Cic. pro Mil. 4. 10.

Quae de causis belli poetae fuerit sententia, quaerenti statim occurrit in Acharnensibus, ubi Dicaeopolis chorum vituperat, Lacedaemonios solos belli auctores existimantem, nam ibi legimus:

> ἡμῶν γὰρ ἄνδρας, οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω,
> μέμνησθε τοῦθ' ὅτι οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω,
> ἀλλ' ἀνδράρια μοχθηρὰ, παρακεκομμένα
> ἄτιμα καὶ παράσημα, καὶ παράξενα
> ἐσυκοφάντει Μεγάρεων τὰ χλανίσκια.

Iam diu Athenienses et Megarenses inter se inimicitias exercuerant de quibus pauca sufficiant: Megarenses Corinthiorum aliorumque auxilio invocato anno 445 post pugnam ad Coroneam ab Atheniensibus desciverant, quae res magno erat damno Atheniensibus, quod sic iter per Megaridem in Atticam Lacedaemoniis pateret (Thuc. I, vs. 4.) Iam ab eo inde tempore odium magnum exsti-

tisse et commercium ab Atheniensibus prohibitum esse verisimile est. Statim igitur sycophantae occasionem arripuerunt ut Megariensium merces deferendo lucrum sibi quaererent. Quum autem postea Pericle auctore publico consilio omnibus Atheniensium portubus sunt coerciti tanta ulciscendi cupiditas Megarenses invasit, ut auxilium Lacedaemoniorum invocarint contra Atheniensium iniurias.

Sycophantas, illam reipublicae pestem, hac quoque in re, malum auxisse extra controversiam est positum et testatur ille Megarensis, qui in Acharn. pace facta Dicaeopoli suas venditurus merces, eiusmodi homine appropinquante metu perculsus exclamat (v. 821):

τοῦτ' ἐκεῖν' ἵκει πάλιν
ὅθενπερ ἀρχὰ τῶν κακῶν ἁμῖν ἔφυ.

Ergo ex iis, quae in Acharnenibus occurrunt inde a versu 495, colligi potest poetae sententiam fuisse, hoc odium Megarensium sycophantarum indiciis auctum, sed acerbissimum factum post populiscitum quo a portubus sunt prohibiti, magnam fuisse belli causam. De qua opinione videamus an cum historiae fide congruat.

Apud Thucydidem legimus (Lib. I, 110) Lacedaemonios cum Atheniensibus nullas exercuisse inimicitias, πρὶν δή γ' ἡ δυναμὶς τῶν Ἀθηναίων σαφῶς ἤρετο, καὶ τῆς συμμαχίας αὐτῶν ἥπτοντο, τότε δ' οὐκέτι ἀνασχετὸν ἐποιοῦντο ἀλλ' ἐπιχειρητέα ἡ ἰσχὺς, ἥν δύνωνται, ἀραμένοις τόνδε τὸν πόλεμον.

Quum enim potentia Atheniensium magis atque magis cresceret sensim orta est Lacedaemoniorum invidia, prae-

sertim, quod socii peterentur. Ut igitur Athenarum frangerent vires primo postulant τὴν ἔλασιν τῶν ἐναγῶν i. e. Alcmaeonidarum, quo Periclem urbe moverent, cuius ductu inprimis floreret et quo auctore decretum factum esset contra Megarenses; deinde, Corinthiis inprimis suadentibus ut Athenienses Potidaeam relinquerent, praeterea, ut Aeginam liberam esse sinerent; postremo ut legimus l. l. μάλιστά γε πάντων καὶ ἐνδηλότατα προὔλεγον τὸ περὶ Μεγαρέων ψήφισμα καθελοῦσι μὴ ἂν γενέσθαι πόλεμον. οἱ δὲ Ἀθηναῖοι οὔτε τἆλλα ὑπήκουον οὔτε τὸ ψήφισμα καθῄρουν.

Qui ultimi venerunt legati, nuntiabant bellum fore, nisi Athenienses omnes Lacedaemoniorum socios intactos relinquerent. Qua de re comitiis factis, divisae erant sententiae Atheniensium in utramque partem (ὡς χρὴ πολεμεῖν, καὶ ὡς μὴ ἐμποδὼν εἶναι τὸ ψήφισμα εἰρήνης ἀλλὰ καθελεῖν); mox tamen perfecit Pericles, ut prior vinceret, illa composita oratione luculenter exponens, abolitionem populisciti bellum non aversuram, sed statim, si cederent Athenienses, Lacedaemonios adfore ut majora postularent (ἄλλο τι μεῖζον ἐπιταχθήσεσθε, ὡς φόβῳ καὶ τοῦτο ὑπακούσαντες). Ne igitur putarent de parvis se dimicaturos. Quamobrem non cedendum sed strenue pugnandum, ne urbs suis viribus diffidere videretur. Hanc sententiam viri, qui reipublicae decus inprimis tuendum esse censebat, minime approbasse mihi videtur poeta, sed potius stetisse ab illis, qui censerent decretum esse antiquandum ne causa fieret belli; inter quos Niciam ceterosque optimates fuisse prope certum, quum Periclis adversarii nihil magis cuperent, quam in Pace vivere

cum Lacedaemoniis. Qua invidia persequerentur Periclem qui pacem omnibus modis servare vellent luce clarius est et ipsum poetam habemus testem in Pace et Acharnensibus (cfr. Plut. Pericl. vit. cap. 31. *τοῦ δὲ μὴ λυθῆναι τὸ ψήφισμα πάντες ὡσαύτως τὴν αἰτίαν ἐπιφέρουσι τῷ Περικλεῖ*). Illo enim auctore, decretum erat, ne amplius legati de Pace in urbem admitterentur, cum Archidamus, ut Thuc. narrat ipse bellum avertere cupiens, iam profectus in bellum tamen mitteret legatos, qui animos Atheniensium ad pacem flectere conarentur. (Thuc. II, 12.) Unde apparet multos etiam apud Lacedaemonios fuisse, qui pacem mallent [1]).

Poeta cui bellum et belli auctores invisi erant, unde odium esset ortum universae Graeciae perniciem allaturum Dicaeopolin, facit causam agentem Lacedaemoniorum, quos solos belli auctores insimularent Athenienses et cives suos accusantem, quod temere speciosis Pericles verbis fidem habuerint quem, et in Pace et in Acharnensibus, dat crimini, quod ob privatam simultatem Graeciam perdiderit, sive hanc ipse comice finxit, ut *τὸ ψήφισμα τὸ διὰ λαικαστρίας* belli miseriis opponeret, sive rumorem ab inimicis Periclis dispersum in fabula adhibuit; nullam enim de ea re mentionem facit historia.

Nempe populum increpat quod unius viri auctoritate sibi bellum persuaderi sivisset, neque scintillam exiguam ab uno iactam ut incendium fieret magnum, statim exstinxisset (Pac. 606). Verisimile est eiusmodi rumores

---

[1]) Cfr. Thuc. I, 25 *καὶ . πλῆθος ἐψηφίσαντο πολεμεῖν*, non una voce igitur socii bellum dec. ant.

dispersos fuisse ab adversariis qui pacem cuperent in virum praeclarum, qui civitatis saluti bellum necessarium fore putabat.

Praeter Periclem auctorem, omnes quoque ceteros carpit qui ob quamvis aliam causam bellum paci anteponerent. Quam culpam praesertim non effugiunt illi demagogi, quibus turbae, cum bello orto plebs rustica in urbe adesset, optimam dabant opportunitatem, impune saeviendi. Quam rem tangit Hermes in Pace, Atheniensium condicionem post bellum ortum exponens (Pac. 632):

κᾆτα δ' ὡς ἐκ τῶν ἀγρῶν ξυνῆλθεν οὑργάτης λεώς
τὸν τρόπον πωλούμενος τὸν αὐτὸν οὐκ ἐμάνθανεν
ἀλλ' ἅτ' ὢν ἄνευ γιγάρτων καὶ φιλῶν τὰς ἰσχάδας
ἔβλεπεν πρὸς τοὺς λέγοντας· οἱ δὲ γιγνώσκοντες εὖ
τοὺς πένητας ἀσθενοῦντας κἀποροῦντας ἀλφίτων
τήνδε (Pacem) *μὲν δικροῖς ἐώθουν τὴν θεὸν κεκράγμασιν*
πολλάκις φανεῖσαν αὐτὴν τῆσδε τῆς χώρας πόθῳ.

Ut Pisander ille qui postea populum prodidit (cfr. Schol. Pac. 394) omnes demagogi erant bellicosi non ob virtutem sed ob spem lucri (*πολεμοποιοὶ κερδῶν ἰδίων ἕνεκα*). Sic Cleon, quamquam assidue sua erga populum beneficia iactans belli aerumnis eum vexari incultisque in locis habitare, patitur quo facilius eum moderetur (Eq. 818):

σὺ (Cleon) *δ' Ἀθηναίους ἐζήτησας μικροπολίτας ἀποφῆναι*
διατειχίζων καὶ χρησμῳδῶν

Eq. 794: *Ἀρχεπτολέμου δὲ φέροντος*
τὴν εἰρήνην ἐξεσκέδασας τὰς πρεσβείας τ' ἀπελαύνεις
ἐκ τῆς πόλεως ῥαθαπυγίζων, αἳ τὰς σπονδὰς προκαλοῦνται.

Nam populo victoria ad Pylum exsultanti pacem accipere dissuadebat, probe sciens, de sua auctoritate actum fore, si pax fieret (cfr. Pac. 667. Schol. ad Pac. 397. Eq. 1034, Thuc. V. 16. Eq. 926 seqq.) et cum ter legati venirent de Pace postquam Lac. in Sphacteria erant capti, (quo tempore Athenienses commodam pacem facere potuissent) suadente Cleone infecta re sunt remissi (Thuc. IV, 41) magno cum dolore, opinor, poetae et omnium, qui Paci faverent. Quare Hermes in Pace dat culpae populo, quod pacem, longas afferentem inducias, urbem introire non passus sit, inanibus Cleonis promissis impulsus (v. 664):

ἀκούσαθ' ὑμεῖς ὧν ἕνεκα μομφὴν ἔχει·
ἐλθοῦσά φησιν αὐτομάτη μετὰ τὰν Πύλῳ
σπονδῶν φέρουσα τῇ πόλει κίστην πλέαν,
ἀποχειροτονηθῆναι τρὶς ἐν τἠκκλησίᾳ

Cleon igitur aliique oratores maxime paci obstabant. Quo mortuo statim spes pacis aucta est; nam bellum ut iocose dicit poeta pistillum amiserat, quo Graeciam conculcaret (Pac. 269):

ἀπόλωλ' Ἀθηναίοισιν ἀλετρίβανος
ὁ βυρσοπώλης, ὃς ἐκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Apud Spartanos Brasidam eodem cognomine dignum censet poeta. De quibus ambobus belli ministris mire inter se consentiunt comoedia et historia. Legimus enim apud Thucydidem (Lib. V. 16) *ὁ μὲν* (Brasidas) *διὰ τὸ εὐτυχεῖν τε καὶ τιμᾶσθαι ἐκ τοῦ πολεμεῖν*, *ὁ δὲ* (Cleon) *γενομένης ἡσυχίας καταφανέστερος νομίζων ἂν εἶναι κακουργῶν*

καὶ ἀπιστότερος διαβάλλων μάλιστα ἠναντιοῦτο τῇ εἰρήνῃ (cfr. Eq. 864).

Quibus optime quoque congruunt maledicta, quibus insiciarius proscindit Cleonem, populo iurisdictionem in Arcadia et quinque obolos ostentantem, ut eum ad suas trahat partes (Eq. 801):

οὐχ ἵνα γ' ἄρχῃ μὰ Δί' Ἀρκαδίας προνοούμενος, ἀλλ' ἵνα μᾶλλον
σὺ μὲν ἁρπάζῃς καὶ δωροδοκῇς παρὰ τῶν πόλεων· ὁ δὲ δῆμος
ὑπὸ τοῦ πολέμου καὶ τῆς ὁμίχλης ἃ πανουργεῖς μὴ καθορᾷ σου
ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης ἅμα καὶ χρείας καὶ μισθοῦ πρός σε κεχήνῃ
εἰ δέ ποτ' εἰς ἀγρὸν οὗτος ἀπελθὼν εἰρηναῖος διατρίψῃ,
γνώσεται οἵων ἀγαθῶν αὐτὸν τῇ μισθοφορᾷ παρεκόπτου
εἶθ' ἥξει σοι δριμὺς ἄγροικος κατὰ σοῦ τὴν ψῆφον ἰχνεύων.
ἃ σὺ γιγνώσκων τόνδ' ἐξαπατᾷς καὶ ὀνειροπολεῖς περὶ σαυτοῦ.

Hyperbolum quoque, qui post Cleonis mortem populo praeerat (cfr. Schol. Eq. 1304, Nub. 623) pacis fuisse adversarium luculenter apparet e Pace (681—692), ubi Pax, audiens Hyperbolum (τὸν πονηρὸν) in Pnyce saxum occupare, prae indignatione oculos avertit (Pac. 918, Vesp. 1007).

Aliud genus pacis adversariorum poeta carpit in Lamachi persona, nempe viros militares qui insano proeliandi studio flagrantes, populi miserias prae sua gloria parvi aestument.

Quae chori Acharnensium pars pacem a Dicaeopoli factum repudiat Lamachi auxilium invocat contra civem

qui non ut plebecula neque demagogorum nugis neque militari ostentatione et arrogantia ductus intelligat, pacem solam patriae salutem allaturam, bellum contra civium felicitatem, commercium inter civitates aliaque bona impedire.

Lamachus ὁ δεινός, ὁ ταλαύρινος, ὃς τὴν Γοργόνα
πάλλει, κραδαίνων τρεῖς κατασκίους λόφους
(Ach. 964).

ei metum non incutit, sed nauseam movet.

Optime indicant, quae Lamachus arroganter iactat, pertinaciam illorum, qui non quidem, uti demagogi ob turpissimas causas, sed pugnandi cupidine, pro virtute saepe habita et prava ambitione stimulati belli tumultum mallent quam pacis bona (Ach. 620):

ἀλλ' οὖν ἐγὼ μὲν πᾶσι Πελοποννησίοις
ἀεὶ πολεμήσω καὶ ταράξω πανταχῇ
καὶ ναυσὶ καὶ πεζοῖσι κατὰ τὸ καρτερόν.

Quibus a poeta opponuntur, ea quae dicit Dicaeopolis pro certo habens commercium magis quam pugnas Graeciae profuturum (vers. 621):

ἐγὼ δὲ κηρύττω γε Πελοποννησίοις
ἅπασι καὶ Μεγαρεῦσι καὶ Βοιωτίοις
πωλεῖν ἀγοράζειν πρὸς ἐμέ, Λαμάχῳ δὲ μή.

et paullo post vers. 725:

ἐνταῦθα μήτε συκοφάντης εἰσίτω,
μήτ' ἄλλος ὅστις Φασιανός ἐστ' ἀνήρ.

Neque sycophantas, unde bellum initium ceperit, neque Lamachos, qui populum inani ostentatione ad pugnam et odium contra hostes accendant, bonis pacis frui sinit Dicaeopolis; mox tamen eiusmodi homines stultitiae suae poenitere, lepidissime ob oculos spectatorum ponit poeta in fabulae fine; nempe ibi Lamachus festos aliasque voluptates pace ortas conspicatus cum ipse iubetur copias educere contra latrones, militari arrogantia et virtutis iactatione omissis, vehementer iisdem frui cupit.

Poeta intelligebat, huiuscemodi viros pariter esse metuendos ac demagogos. Nimia Lamachi audacia, quem et poeta alias laudat et historia honorifice memorat, ut in pugnis haud spernenda, domi erat molestissima. (Conferenda sunt, quae Thuc. (lib. VI, 47, 48, 49) dicit de Niciae, Alcibiadis et Lamachi diversis sententiis et Plutarchus in Nic. vita Cap. 12 [1]).

Multos praeter Lamachum fuisse iuniores qui bellum cuperent cognoscas e Thuc (II. 8) *τότε δὲ καὶ νεότης πολλὴ μὲν οὖσα ἐν τῇ Πελοποννήσῳ, πολλὴ δ' ἐν ταῖς Ἀθήναις οὐκ ἀκουσίως ὑπ' ἀπειρίας ἥπτετο τοῦ πολέμου.*

Erat enim via, qua gloriam et honorem sibi compararent, nec non quaestum facerent. Quare non dubitandum, quin, prae belli amore civitatis mala non videntes, paci offecerint et populi partem stupidam suo exemplo ad bellum et odium in hostes concitarint.

---

1) In vita Alcib. cap. 21. *ὁ γὰρ Λάμαχος ἦν πολεμικὸς.*

Ambitiosos illos tangit poeta in Pace (v. 444):

κεἴ τις ἐπιθυμῶν ταξιαρχεῖν σοὶ (Pace) *φθονεῖ*
εἰς φῶς ἀνελθεῖν, ὦ πότνι', ἐν ταῖσιν μάχαις
πάσχοι γε τοιαῦθ' οἷαπερ Κλεώνυμος.
κεἴ τις στρατηγεῖν βουλόμενος μὴ ξυλλάβῃ
ἐπὶ τοῦ τροχοῦ γ' ἕλκοιτο μαστιγούμενος.

Pisander quoque annumeratur illis, quos splendide armatos incedentes plebecula admirari solebat (Pac. 395). Cuius ostentationis vanitatem iam perspiciens chorus summis laudibus dignam habet pacem.

ἥπερ ἡμῶν τοὺς λόφους ἀφεῖλε καὶ τὰς Γοργόνας.

Ex quibus omnibus non temere coniicias, poetam non solum ut cachinnum moveret, milites illos gloriosos facetiis suis perstrinxisse, sed quo simul populus saniora doctus, a stupida admiratione abstineret, qua captus, huiuscemodi virorum voluntati obsequeretur, suam et reipublicae salutem negligeret. Pro certo habebat, opinor, populum bona pacis cernentem, militia gravi quamvis speciosa contempta, eam lubenter accepturam, ut chorus in Pace (v. 1127—1190):

ἥδομαί γ' ἥδομαι
κράνους ἀπηλλαγμένος
τυροῦ τε καὶ κρομμύων.

et vers. 1172, ubi dicit: malo pacem, quam taxiarchum diis invisum ob oculos habere, tres cristas gestantem et purpureo paludamento ornatum, quem tali ornatu indutum tamen non pudet primum omnium terga dare

pennis in galea ob celerrimam fugam vehementer fluctuantibus. Non secius quam in bello, domi sunt intolerabiles, e lubidine nomina mutantes in catalogo (cfr. Eq. 1369) et iubentes proficisci contra hostes, cui tempus ad necessaria paranda deficit (v. 1184):

ταῦτα δ' ἡμᾶς τοὺς ἀγροίκους δρῶσι, τοὺς δ' ἐξ ἄστεως
ἧττον, οἱ θεοῖσιν οὗτοι κἀνδράσιν ῥιψάσπιδες
ὧν ἔτ' εὐθύνας ἐμοὶ δώσουσιν, ἢν θεὸς θέλῃ.
πολλὰ γὰρ δή μ' ἠδίκησαν
ὄντες οἴκοι μὲν λέοντες
ἐν μάχῃ δ' ἀλώπεκες.

Rem ita sese habuisse, scilicet illos domi leones plebi rusticae minime pepercisse, facile credi potest. Quidquid sit poeta illam et quidem magnam civium partem sollicitat contra illos, qui eius miserias flocci haberent et bellum publicae saluti adversum protraherent. In quos quamquam non omnibus ignavia obiici poterat, optime cadunt ea, quibus in Lamachum invehitur Trugaeus in Pace (v. 473):

ὦ Λάμαχ' ἀδικεῖς ἐμποδὼν καθήμενος
οὐδὲν δεόμεθ' ὤνθρωπε τῆς σῆς μορμόνος.

Phormio quoque leviter perstringitur, utpote pacis adversarius ideoque poetae invisus. (Pac. 340) Verum eius virtus ab Equitibus laudibus effertur quippe quae sola adhuc maiorum fortitudinem aequipararet et multum discreparet, ut poeta censet, ab illa Lamachi arrogantia, et insano pugnandi studio, quod etiam in eius filio, patre digno reprehendit Trugaeus:

ἦ γὰρ ἐγὼ 'θαύμαζον ἀκούων, εἰ σὺ μὴ εἴης
ἀνδρὸς βουλομάχου, καὶ κλαυσιμάχου τινὸς υἱὸς
ἄπερρε καὶ τοῖς λογχοφόροισιν ᾆδ' ἰόν.

Praeter belli fautores, qui domi paci officiebant, etiam reliquos Graeciae incolas qui paci essent impedimento increpat poeta, ubi Trugaeus omnes populos, qui bello Peloponesiaco interessent, convocat, ut pacem e latebris protahere adiuvent, unde mox apparet, quibus pax placeat, quibus non. Boeoti non satis operam dant (vers 464):

ἀλλ' οὐχ' ἕλκουσ' ἄνδρες ὁμοίως
οὐ ξυλλήψεσθ'; οἷ' ὀγκύλλεσθ'.
οἰμώξεσθ' οἱ Βοιωτοί.

Deinde Argivorum tanguntur machinationes, qui in medio sedentes lubenter viderent utriusque civitatis labores, utrimque mercedem accipientes (*μισθοφοροῦντες*). Aliunde quoque patet Argivos hac culpa vacuos non fuisse. Ad vers. 477 enim Scholiasta citat Pherecratis ex Automolis fragmentum de Argivis:

οὗτοι γὰρ ἡμῖν οἱ κακῶς ἀπολούμενοι
ἐπαμφοτερίζουσ' ἐμποδὼν καθήμενοι,

Thucydides quoque testatur eos non proclives fuisse ad bellum componendum (V, 22. *ἐπειδὴ οὐκ ἤθελον ἐπι σπένδεσθαι*); praeterea multa fortasse fecisse, ne pax fieret, ut lucrum facerent e bello inter civitates vicinas, verisimile ex iis, quae apud Aristophanem occurrunt. Post Lamachum enim annumerantur iis, qui paci obsistant (vers 475):

οὐδ' οἵδε γ' εἷλκον οὐδὲν ἀργεῖοι πάλαι
ἀλλ' ἢ κατεγέλων τῶν ταλαιπωρουμένων
καὶ ταῦτα διχόθεν μισθοφοροῦντες ἄλφιτα.

Neque Megarenses satis labori incumbunt. Quod tamen ignoscendum ob corporum infirmitatem (483):

ὑπὸ τοῦ γε λιμοῦ νὴ Δί' ἐξολωλότες.

Eos belli malis inprimis esse vexatos, cognoscimus ex Acharnensibus, ubi ridiculum in modum unus ex iis penuria coactus filias in foro vendit Dicaeopoli. Ceterum notissimam et saepe derisam paupertatem eorum belli studium non diminuisse patet e Thuc. (V. 17) ubi legimus: τότε δὴ παρακαλέσαντες τοὺς ἑαυτῶν ξυμμάχους οἱ Λακεδαιμόνιοι, καὶ ψηφισαμένων πλὴν Βοιωτῶν καὶ Κορινθίων καὶ Ἠλείων καὶ Μεγαρέων τῶν ἄλλων, ὥστε καταλύεσθαι, ποιοῦνται τὴν ξύμβασιν.

De Corinthiis, qui omnium maxime Lacedaemonios ad bellum accendebant nullam prorsus mentionem facit Aristophanes; sed condonandum fabularum auctori, quod vitium esset historici.

Omnes autem civitates operam daturos cupit poeta, ut pax fiat, quoniam nil ageretur, nisi omnium concordia (Pac. v. 484):

οὐδὲν ποιοῦμεν, ἄνδρες, ἀλλ' ὁμοθυμαδὸν
ἅπασιν ἡμῖν αὖθις ἀντιληπτέον.

Quam pectore fovet Graeciae unitatem sola Pax potest efficere. Dolet Graecos, quos antea commune periculum contra eundem hostem coniunxisset, foedissimo bello intes-

tino inter se dissidere. Quare strenue eos adhortatur ad concordiam, cuius rei insigne invenimus exemplum in Pace (302):

ὦ Πανέλληνες, βοηθήσωμεν, εἴπερ πώποτε
τάξεων ἀπαλλαγέντες καὶ κακῶν Φοινικικῶν
ἡμέρα γὰρ ἐξέλαμψεν ἥδε μισολάμαχος.

Videbat enim poeta universam Graecorum patriam cum socios, tum hostes, bello dilacerari; et facile inter sales et facetias cognoscas virum anxium ne patria bello intestino direpta et extenuata pateat hosti, qui iam dudum Graeciae immineret et lubenter eius discidium videret (cfr. Isocr. Paneg. § 122, Panath. § 108).

Pavidus belli conspectu, pistillum quaerentis, ut denuo Graeciae urbes concutiat Trugaeus exclamat:

ἆρ οὗτός ἐστ' ἐκεῖνος, ὃν καὶ φεύγομεν
ὁ δεινὸς, ὁ ταλαύρινος, ὁ κατὰ τοῖν σκελοῖν,

qui Prasias, Megara et Siciliam in pilam coniiciat, i. e. aerumnis vexet. Hic inprimis videas, quam scite poeta comica seriis intermisceat, nam his in regionibus quae in bello multa mala erant perpessae, agri ea ipsa ferebant, quae in pila parari solebant. Omnes civitates Graeciae aeque sunt cordi Trugaeo, in coelum volanti, ut Pacem quaerat (v. 93):

ὑπὲρ Ἑλλήνων πάντων πέτομαι.

Rogabit Iovem, quid de omnibus Graecis (*περὶ Ἑλλήνων ἀπαξαπάντων*) facere paret, quem nisi respondeat proditionis se accusaturum minatur v. 107:

γράψομαι
Μήδοισιν αὐτὸν προδιδόναι τὴν Ἑλλάδα.

Rectissime rerum statum perspicere mihi videtur Aristophanes. Nam lubentissime videbant Persae Graeciam dissidentem, quum imperio Atheniensium fracto aut debilitato Graecos in litore Asiae Minoris habitantes in potestatem suam redigere possent. Notissima ex historia sunt quae hoc ipso in bello quaeque postea machinatus sit rex Persarum, ut Agesilaum sibi instantem Asia moveret. Quid contra Graecorum discidium effecerit, luculenter apparet ex illa turpissima Pace (Isocr. Panath. § 106) per Antalcidam postea facta. Gravissimum igitur hoc argumentum adhibet poeta, ut Graecarum civitatum suaderet concordiam. Ita precatur Trugaeus:

μῖξον δ' ἡμᾶς τοὺς Ἕλληνας
πάλιν ἐξ ἀρχῆς
φιλίας χυλῷ καὶ συγγνώμῃ
τινὶ πρᾳοτέρᾳ κέρασον τὸν νοῦν.

Sic vires coniungerentur contra hostem communem, sic, quod quidem maximum, commercium civitatium in integrum restitueretur, quo prohibito magna pars Graeciae statim miseriis esset affecta.

Recte mihi videtur locum interpretari Schol. ad Pacem 802: *λεληθότως αὐτοὺς ἐς ὁμονοίαν αὐτοὺς περιάγει (ὁμοφρονῆσαι πάντας τοὺς Ἕλληνας ἀξιῶν καὶ ὁμοθυμαδὸν τῆς εἰρήνης ἀντιλάβεσθαι, διὰ τοῦτο καὶ μιᾷ προσηγορίᾳ αὐτοὺς περιέλαβε, δηλῶν τὸ συγγενὲς καὶ δυσωπῶν αὐτοὺς ὡς οὐδὲ τῇ ὀνομασίᾳ διακεκριμένοι πολεμοῦσι*

πρὸς ἑαυτούς). Natura enim, quamquam humanam quoque indolem aptissimam ad pugnandum fecisse videtur, tamen populares inter se dimicare vetat. Quum igitur nusquam tam saepe inter gentes eiusdem originis pugnatum sit quam in ipsa Graecia, tamen illius pietatis exempla non desunt (Xenoph. Gr. Hist. IV, II, Ἀγησίλαος ὁρῶν, ὅτι οἱ πολλοὶ τῶν στρατιωτῶν μένειν ἐπεθύμουν μᾶλλον, ἢ ἐφ' Ἕλληνας στρατεύεσθαι.)

Poetae autem taedium belli intestini optime mihi exprimere videntur Trugaei ad vatem populum oraculis ad bellum stimulantem verba ex illo fonte hausta, universae Graeciae communi, qui aptissimus erat ut delirantibus sanam mentem redderet et in memoriam revocaret tempus, quo uno duce universi Graeci celeberrimam expeditionem in Asiam fecissent:

ἀλλ' ὁ σοφός τοι νὴ Δί' Ὅμηρος δεξιὸν εἶπεν·
ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος
ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου, ὀκρυόεντος.

Quanto saniora sapientis Nestoris verba, quam illae speciosae nugae et obscura oracula, quibus vates plebeculae aures irritat (v. 1060):

ὦ μέλεοι θνητοὶ καὶ νήπιοι
οἵτινες ἀφραδίῃσι θεῶν νόον οὐκ ἀΐοντες
συνθήκας πεποίησθε ἄνδρες χαροποῖσι πιθήκοις
καὶ κέπφοι τρήρωνες ἀλωπεκιδεῦσι πέπεισθε
ὧν δόλιαι ψυχαί, δόλιαι φρένες.

Sunt illa oracula, quae plebs, quo minus intelligeret, eo maiore cum religione audiebat. Nequissimo cuique

erant utilissima ad plebem superstitiosam moderandam uti vellet. Iam in „Equitibus" ea paroediatur poeta et increpat ut opportunissima viris, qui populum falsis promissis quasi divinis decipere velint. Quae ut solenni modo populo nuntiarentur, vates (*χρησμολόγους*) magni momenti fuisse demagogis verisimile est. Eiusmodi enim virorum, sive sincero animo, sive a demagogis mercede conducti· cum dolo malo carmina canerent magnam fuisse auctoritatem arguit huius temporis superstitio cuius ipsum Niciam virum nobiliorem et ducem praeclarum, exemplum habemus (Plat. Nic. vit. 23). Thucydides quoque narrat, vatum numerum magnum fuisse, divina de bello oraculo canentium (Thuc. II, 8. *καὶ πολλὰ μὲν λόγια ἐλέγοντο, πολλὰ δὲ χρησμολόγοι ᾖδον ἔν τε τοῖς μέλλουσι πολεμήσειν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσιν* et II, 21. *χρησμόλογοί τε ᾖδον χρησμοὺς παντοίους, ὧν ἀκροᾶσθαι ὡς ἕκαστος ὥργητο.*)

Mox tamen populum Atheniensium poenituit levitatis, qua vatibus et oratoribus fidem habuissent, cum post cladem in Sicilia se turpiter deceptum haberet, et totam culpam delegaret in eos, qui sua credulitate essent abusi. De qua re legitur apud Thuc. VIII, 1: Athenienses, de clade certiores facti (ut ipsius verba describam) *χαλεποὶ μὲν ἦσαν τοῖς ξυμπροθυμηθεῖσι τῶν ῥητόρων τὸν ἔκπλουν, ὥσπερ οὐκ αὐτοὶ ψηφισάμενοι, ὠργίζοντο δὲ καὶ τοῖς χρησμολόγοις τε καὶ μάντεσι καὶ ὁπόσοι τότε αὐτοὺς θειάσαντες ἐπήλπισαν, ὡς λήψονται Σικελίαν.* Optime videbat Aristophanes periculum, quod ex his quoque viris immineret reipublicae qui, quasi numine aflati, plebeculam stupidam haberent gratum auditorem

obscurissimarum quisquiliarum. Ergo Trugaeus qui ipsius poetae sententiam in hac fabula dicit, iratus rogat vatem (Pac. 1087):

ἄρα Φενακίζων ποτ' Ἀθηναίους ἔτι παύσει;

Huius quoque mali remedium fore pacem putat. Tunc enim actum erit de auctoritate omnium veteratorum et de honoribus quos a stolida plebe accipiunt (v. 1084):

οὔ ποτε δειπνήσεις ἔτι τοῦ λοιποῦ 'ν πρυτανείῳ.

Quam rem etiam alibi populo obiicit poeta, quod honorem, qui antea nonnisi praeclarissimis viris contingeret, iam largiretur cuique defraudatori, populi saluti obsistenti, ut sua augeret.

Quae populus non videbat, recte perspicit Trugaeus, quem poeta in scenam producit civem, uti Dicaeopolin sapientem. Quamobrem libere et contemptim respondet hariolo vaticiniis obscuris populo pacem dissuadenti: non requirimus oracula Bacidis tui tuaeque Sibyllae, ut agamus nobis et reipublicae utilia (1080):

ἀλλὰ τί χρῆν ἡμᾶς; οὐ παύσασθαι πολεμοῦντας
ἢ διακαυνιάσαι, πότεροι κλαυσούμεθα μεῖζον
ἐξὸν σπεισαμένοις κοινῇ τῆς Ἑλλάδος ἄρχειν;

In malam crucem abire iubet hominem, qui quamvis bellicosus, tamen lautis epulis propter pacem paratis interesse cupit. Ut Dicaeopolis Lamachum, sic Trugaeus hic sua comedere iubet vatem (τὴν Σίβυλλαν ἔσθιε). In memoriam revocant haec, responsum Alexandri cui vates molestias exhibet: censesne, tantas res non pecu-

dum fibras ante oculos habenti, ullum esse maius impedimentum, quam vatem superstitione captum?

Bellum, quibusdam utilissimum, ipsi populo est molestissimum. Iam vidimus plebem ex agris suadente Pericle in urbe inclusum auxisse multitudinem, quae optimam praeberet opportunitatem demagogis exsequendi sua consilia. Nisi pax fieret, in urbe remaneret ubi molestissima esset bonis civibus. Ergo in Pace sola poeta et omnes nimiae plebis licentiae adversarii spem ponebant.

Vitam urbanam non multum placuisse iis, qui in agris vivere solebant constat; praesertim quod in urbe tristissima uterentur condicione, quam describit Thucydides (II, 16, 17), et obiicit Agoracritus belli suasori Cleoni (Eq. 792):

καὶ πῶς σὺ Φιλεῖς, ὃς τοῦτον ὁρῶν οἰκοῦντ' ἐν ταῖς πιθάκναισιν
καὶ γυπαρίοις καὶ πυργιδίοις ἔτος ὄγδοον οὐκ ἐλεαίρεις
ἀλλὰ καθείρξας αὐτὸν βλίττεις.

Quo rerum statu usus poeta omnia mihi facere videtur, ut augeat desiderium agrorum et taedium belli. Sic quos in scenam producit Dicaeopolis Trugaeus, Strepsiades, omnes aeque condicionem suam fastidiunt (Nub. 6):

ἀπόλοιο δῆτ' ὦ πόλεμε, πολλῶν οὕνεκα.

Sic Trygaeus probus civis, *οὐ συκοφάντης οὐδὲ ἐραστὴς πραγμάτων*, sana mente praeditus et bene percipiens

quae sibi revere sint commoda, neque credens oratorum falsis promissis, rogat Iovem (Pac. 62):

> ὦ Ζεῦ, τί δρασείεις ποθ' ἡμῶν τὸν λεών;
> λήσεις σεαυτὸν τὰς πόλεις ἐκκοκκίσας

Eam turbam agrestem, magnam civium partem, quae inprimis poetae cordi fuisse videtur, quod agricolis bello omnia essent erepta, prae ceteris placatiorem et paci propensiorem facere, strenue contendit. Cuius rei luculentum habemus exemplum fabulam, quae Acharnensium nomine inscripta est. Callide enim hic eos animos flectere conatus est Aristophanes, quos maxime paratos ad audiendum sciebat, de quibus non dubitandum, quin a demagogis solis quasi vinclis coerciti, si modo liceret, primam arriperent occasionem in pristinam redeundi vitae rationem. Quod vehementer cupit chorus in Pace (v. 346):

> εἰ γὰρ ἐκγένοιτ' ἰδεῖν ταύτην με τὴν ἡμέραν
> πολλὰ γὰρ ἀνεσχόμην
> πράγματα.

Agricolae enim erant, qui ab utraque parte prima belli mala experti erant, cum ii, quorum opera bellum exortum esset, lucrum inde facerent (Pac. 625):

> κᾆτα τἀκείνων γε κέρδη τοῖς γεωργοῖς ἦν κακά.
> αἱ γὰρ ἐνθένδ' αὖ τριήρεις ἀντιτιμωρούμεναι
> οὐδὲν αἰτίων ἂν ἀνδρῶν τὰς κράδας κατήσθιον.

Mox, postquam plebs rustica in urbem confluxerat ubi nil habebat quod faceret, oratorum eloquentiam admirari eorumque auctoritatem sequi coepit, quod perniciosissimum reipublicae erat. (v. 632 Pac.):

κᾆτα δ' ὡς ἐκ τῶν ἀγρῶν ξυνῆλθεν οὑργάτης λεώς
τὸν τρόπον πωλούμενος τὸν αὐτὸν οὐκ ἐμάνθανεν
ἀλλ' ἅτ' ὢν ἄνευ γιγάρτων καὶ φιλῶν τὰς ἰσχάδας
ἔβλεπεν πρὸς τοὺς λέγοντας.

Omnibus miseriis affecta urbs pallida, quasi vinctis manibus erat in potestate eorum qui talem condicionem sibi utilem ducerent. Quod lepidissimo suo modo ita significat poetae (Pac. 642):

ἡ πόλις γὰρ ὠχριῶσα κἀν φόβῳ καθημένη
ἅττα διαβάλλοι τις αὐτῇ, ταῦτ' ἂν ἥδιστ' ἤσθιεν.

Non dubitandum opinor quin agricolae mox vitae urbanae, quamvis speciosae incommoda experti, odio in hostes paulatim deminuto, vehementer rusticam vitam desiderarint et oratores omnes fallacias adhibuisse debuerint, ut eam civium partem impellerent ad pacem abrogandam. Quorum dummodo fracta esset auctoritas, nil gratius fore civibus intelligit poeta, quam illa Hermae verba (Pac. 550):

ἴθι νῦν ἄνειπε τοὺς γεωργοὺς ἀπιέναι
ὡς τάχιστ' ἄνευ δορατίου καὶ ξίφους κἀκοντίου.

Exosi militiam laetissimi in suos agros redibunt, per tot annos vastatos incultosque. Artifices armorum (λοφοποιὸς καὶ ξιφουργὸς) aliique, qui quaestum e bello faciant, pace facta, prae dolore sibi capillos evellant, ὁ δρεπανουργὸς contra prae gaudio exsultabit, si videat futura Pace denuo suos se venditurum ligones.

Praeter mala, quae populum in urbe vexabant, extrinsecus quoque imminebat periculum. Nam socii, quorum

fides in pace certior, statim bello orto arripuerunt occasionem deficiendi, invocato auxilio Lacedaemoniorum, qui ipsi omnia faciebant, ut illos sollicitarent; libertatem enim civitatum semper prae se ferentes, iam ante bellum ortum postulaverant, ut Athenienses omnibus sociis libertatem concederent. Quod Mytilenaei fecerint notissimum ex historia. Eam rem mihi tangere videtur poeta in Pace (v. 619):

κᾆτ' ἐπειδὴ 'γνωσαν ὑμᾶς αἱ πόλεις ὧν ἤρχετε
ἠγριωμένους ἐπ' ἀλλήλοισι καὶ σεσηρότας
πάντ' ἐμηχανῶντ' ἐφ' ὑμῖν, τοὺς φόρους φοβούμεναι
κἀνέπειθον τῶν Λακώνων τοὺς μεγίστους χρήμασιν.

Quibus conferre operae pretium est orationem a Metylenaeis Olympiae habitam, qua auxilium Lacedaemoniorum et sociorum invocantes (Thuc. III, 13) defectionis opportunitatem exponunt: *καιρὸς δὲ ὡς οὔπω πρότερον. νόσῳ τε γαρ ἐφθάρκται Ἀθηναῖοι καὶ χρημάτων δαπάνῃ, νῆές τε αὐτοῖς αἱ μὲν περὶ τὴν ὑμετέραν εἰσίν, αἱ δ' ἐφ' ἡμῖν τετάχαται, ὥστε οὐκ εἰκὸς αὐτοὺς περιουσίαν νεῶν ἔχειν ἢν ὑμεῖς ἐν τῷ θέρει τῷδε ναυσί τε καὶ πεζῷ ἅμα ἐπεσβάλητε τὸ δεύτερον.* Classis enim, quae tempore pacis facile socios coercere poterat, navibus propter bellum dispersis iam non erat metuenda, quocirca nobilium factio semper favens Lacedaemoniis, horum auxilio freta, ab Atheniensibus saepe invito populo deficiebat. Praeterea, alliciebat socios ostentata libertas et spes, ut ipse poeta l. l. dicit, ne amplius tributum penderent (Thuc. I. 144).

Inprimis optimatium factionem fuisse, quae intra socios Atheniensibus erat infestissima, multitudinem contra eorum

partibus favere par est, cum Athenis democratia, Spartae nobilium regnum vigeret. Cavendum igitur erat, ne occasio daretur deficiendi et semper sic agendum, ut populus libenter in fide maneret. Quod sentiens ille Diodotus contra Cleonis duritiam suadet lenitatem erga Mytilenaeos, ne alibi quoque defectione facta, optimates plebem haberent sociam si videret se et innocentem et noxiam pariter poenas daturam. Quin etiam tam prudenter agendum censet, ut dicat: *δεῖ δὴ καὶ εἰ ἠδίκησαν μὴ προσποιεῖσθαι, ὅπως, ὃ μόνον ἡμῖν ἔτι ξύμμαχόν ἐστι μὴ πολέμιον γένηται.*

Ut iam supra quoque vidimus, poeta humanitate et prudentia inductus nimiam improbat severitatem in socios, cum Diodoto *τό ξύμφορον τῆς πόλεως* id esse existimans, cavere ne nimis irritaretur pars imperii, quo staret respublica, et acriter increpat eos, qui spe lucri, sociis formidinem iniiciant (Vesp. 669):

κᾆθ' οὗτοι μὲν δωροδοκοῦσιν κατὰ πεντήκοντα τάλαντα
ἀπὸ τῶν πόλεων, ἐπαπειλοῦντες τοιαυτὶ κἀναφοβοῦντες,
δώσετε τὸν φόρον, ἢ βροντήσας τὴν πόλιν ὑμῶν ἀνατρέψω,

Bellum igitur ob eam quoque causam componendum esse censet, quod inde late disperso Atheniensium imperio periculum grave impenderet. Itaque Aristhophanes, ut omnia, quae de bello dicit, paucis complectar, prava demagogorum consilia aperit, qui ad bellum adhortentur, ne auctoritatem suam apud populum eo ipso vigentem, amittant et plebs rustica, quam obsequentem habent auditorem, urbem relinquat; increpat arrogantiam illorum qui ambitiosi iuvenili ardore bellum cupientes paci resi-

stant; aerumnas et miserias ob oculos ponit spectatorum, quas pleraeque Graeciae civitates, socii, sed inprimis populus in urbe pateretur; postremo monet, caveant Athenienses, ne imperium in discrimen veniat, quum bellum optimam deficiendi occasionem praeberet sociis.

Quae omnia non solum, opinor, ad risum movendum in scena traduxit sed eo potius consilio, ut apud populum, quam maxime posset, taedium moveret belli, quo orto inprimis plebis licentia bonos cives premeret, id que maiore cum industria in fabula, cui Pax inscribitur, eo temporis momento, cum populus, demagogis strenue adhuc pacem dissuadentibus, mox suffragiis decerneret, bellum foret an pax. Quam, quibus argumentis commendet poeta, sequenti videamus capite.

DE PACE.

Pax est tranquilla libertas.
Cic. Phil. 2, 44.

Eodem ardore, quo nimiam plebis licentiam et belli mala insectatur, poeta suadet Pacem, quae, ut censet finem imponeret conditioni, honestis civibus haud tolerabili. Ubi potest voluptates, quae Pacem sequantur, in memoriam revocat spectatorum, haud ignarus civium ingenii, laetae et securae vitae amantis. Desiderium pacis, quod mox natum sed strenue ab oratoribus oppressum esse videtur, poeta accendere et augere conatur. Eo enim ipso consilio scripsit Acharnenses, ubi totus versatur in deliciis pacis belli malis opponendis.

Vehementer desiderat pacem Dicaeopolis, unus ex illis rusticis, quos poeta iam in agros reversos cupiebat (Acharn. v. 32):

ἀποβλέπων εἰς τὸν ἀγρὸν, εἰρήνης ἐρῶν
στυγῶν μὲν ἄστυ, τὸν δ' ἐμὸν δῆμον ποθῶν.

Est homo frugi, et sapiens, qui, ut iam vidimus, oratores, populum dolo malo allicientes militesque

arrogantes pessime odit et multitudinis insanum belli studium acriter vituperat.

Comice poeta eum fingit, foedus privatum cum Lacedaemoniis percutientem et invidiam contemnentem, quam in se contrahat, mox cessuram laudibus quibus chorus, sapientiam eius agnoscens eum extollat.

Non quinquennali foedere est contentus (190) nam:

ὄζουσι πίττης καὶ παρασκευῆς νεῶν

neque ei placent decennales (192):

ὄζουσι χαὖται πρέσβεων ἐς τὰς πόλεις
ὀξύτατον, ὥσπερ διατριβῆς τῶν ξυμμάχων

Sed illae triginta annorum induciae terra marique ambrosiam redolent et nectar. Quibus percussis iam non necesse erit commeatus parare ad expeditionem et quolibet ire licebit. Valeant igitur, ait, Acharnenses cum insano furore; equidem belli malis liber ruri ruralia agam Dionysia, ut ante bellum; absque me pugnet fortissimus Lamachus:

ἐγὼ δὲ κηρύττω γε Πελοποννησίοις
ἅπασι καὶ Μεγαρεῦσι καὶ Βοιωτίοις
πωλεῖν, ἀγοράζειν, πρὸς ἐμέ, Λαμάχῳ δὲ μή

A foro prohibentur omnes, qui paci adversentur. Commercium, funditus bello fractum, quae res pariter omnes Graeciae civitates vexabat, pace facta reviviscet. Statim undique concurrunt ad forum Dicaeopolis, ut merces suas vendant. Megarensis quidam eo penuriae est prolapsus, ut uxorem et filias pro porcis vendat, cuius tristissima

condicio, quamvis ridicule ficta, tamen singularem movet misericordiam, ubi dicit: (v. 751, 729, 816):

> διαπεινᾶμες ἀεὶ ποττὸ πῦρ.
> Ἑρμᾶ 'μπολαῖε, τὰν γυναῖκα τὰν ἐμὰν
> οὕτω μ' ἀποδόσθαι τάν τ' ἐμαυτοῦ ματέρα.

De communi paupertate etiam conferas, quae leguntur vers. 120 Pac., ubi Trugaeus queritur, se ob bellum panem non habere, quem det filiis.

Post Megarensem Boeotus aliquis adest in foro secum ferens omnia, quae sua producit terra. In quibus Dicaeopolis anguillas e lacu Copaide agnoscens, quae inprimis Atheniensium erant gulae illecebrae, prae gaudio exsultans *τὴν πρέσβειραν πεντήκοντα κωπᾴδων κορᾶν* ita alloquitur (Ach. 885):

> Ὦ φιλτάτη σὺ καὶ πάλαι ποθουμένη
> ἦλθες ποθεινή.
> σκέψασθε, παῖδες, τὴν ἀρίστην ἔγχελυν
> ἥκουσαν ἕκτῳ μόλις ἔτει ποθουμένην.

Quibus hercle nil aptius ad risum excitandum idemque ad salivam movendam spectatorum. Desiderium enim denuo gustandi delicias, quae ante belli initium abunde praesto erant sed quae iam sexto anno non viderant Athenienses, callide accendit poeta, ut eorum animos Paci reddat propensiores. Quae argumenta humiliora, quum publica eloquentia in Pnyce non admitteret, astute adhibet in scena, ut civium populi animis iniiciat cupidinem pristinae felicitatis, quam sola Pax secum posset ferre; nam cum Lamachus miles gloriosus Dicaeopolin

laute viventem cernens, sibi quoque petit partem bonorum, respondetur (Ach. 967):

ἀλλ' ἐπὶ ταρίχει τοὺς λόφους κραδαινέτω.

Simulac bona pacis conspexit chorus, viri, quem paullo ante conviciis proscindebat ob pacis amorem, nunc iam laudat sapientiam; quod recte arguit veram plebis indolem, quae caeca sibique non constans, statim eo se vertit, ubi cernit commoda et iucunda. Vidistine tu, mea urbs, exlamat, virum sapientem; quas res pace facta habet venales, alias domi utiles, alias ad comedendum dulcissimas, quae omnes ei quasi ultro affluunt?

Qui antea ira occaecati pacem contemnebant Acharnenses conspectis deliciis quae affert commercium, extemplo bellum exsecrantur et fervidis creticis ianua sua prohibent: „numquam apud me recipiam bellum, neque discumbens scolia canet de Harmodio, ὅτι παροίνιος ἀνὴρ ἔφυ (Ach. 982):

ὅστις ἐπὶ πάντ' ἀγάθ' ἔχοντας ἐπικωμάσας
εἰργάσατο πάντα κακὰ κἀνέτρεπε κἀξέχει
κἀμάχετο, καὶ προσέτι πολλὰ προκαλουμένου
πῖνε, κατάκεισο, λαβὲ τήνδε Φιλοτησίαν
τὰς χάρακας ἧπτε πολὺ μᾶλλον ἔτι τῷ πυρί,
ἐξέχει θ' ἡμῶν βίᾳ τὸν οἶνον ἐκ τῶν ἀμπέλων.

Qui ultimus tristis trochaeus recte significat dolorem, qui Athenienses vino privatos invaserat. Nempe id egit poeta, ut sentirent cives bellum quod speciosum et gratum se commendasset, nil nisi damnum et miserias,

afferre. Diallage contra laudibus ad coelum extollitur (v. 989):

ὦ Κύπριδι τῇ καλῇ καὶ Χάρισι ταῖς φιλαῖς
ξύντροφε Διαλλαγή
ὡς καλὸν ἔχουσα τὸ πρόσωπον ἄρ' ἐλάνθανες.

Quae si redierit, pristina iam aderit laetitia, quae Atheniensibus, omnium maxime, ut ita dicam, necessaria bello erat interrupta et sine dubio vehementer desiderabatur. Aristophanes igitur ut ceteri dolens tristitiam, quae urbem invaserat, ex industria laetos illos dies in memoriam revocat spectatorum, quo mobile civium ingenium flecteret. Quamobrem Dicaeopolis foedere cum Lacedaemoniis percusso statim agit Dionysia, quae in sceno conspecta aptissima fuisse mihi videntur ad movendum desiderium. Cum animi laetitia salutat Phalen, Bacchi comitem, tandem post sex annos in urbem reversum (Ach. 265):

ἕκτῳ σ' ἔτει προσεῖπον ἐς
τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄσμενος
σπονδὰς ποιησάμενος ἐμαυ-
τῷ, πραγμάτων τε καὶ μαχῶν
καὶ Λαμάχων απαλλαγείς.

In fabulae fine iterum cives ad festa celebranda convocat (v. 1000):

ἀκούετε λεῴ. κατὰ τὰ πάτρια τοὺς χόας
πίνειν ὑπὸ τῆς σάλπιγγος.

Quo secundo Anthesteriorum die Athenienses ex animi

lubidine genio indulgere solebant. Felici reditu pristinae laetitiae et deliciarum abundantiae motus, tamquam optime meritum de patria laudant Dicaeopolin (v. 1008):

ζηλῶ σε τῆς εὐβουλίας
μᾶλλον δὲ τῆς εὐωχίας
ἄνθρωπε, τῆς παρούσης.

Undique concurrunt ad eum, ut fruantur pacis commodis. Agricola, cui Boeoti latrones vacculas eripuerunt infecta re redit demissus a Dicaeopoli perhibente non publico consilio pacem esse factam (v. 1030) et parce se aliis impertire quae sua sibi sapientia pepererit. Quo magis etiam accendit chori cupidinem qui, quum videt eum iubentem, ut coena paretur et turdos, anguillas, alasque delicias expositas impatiens vociferatur (v. 1044):

ἀποκτενεῖς λιμῷ με καὶ
τοὺς γείτονας κνίσῃ τε καὶ
φωνῇ τοιαῦτα λάσκων.

Nusquam disertius bellum et Pax inter se comparantur quam in fine fabulae ubi Dicaeopolis totus est in epulis et festis, Lamachus contra a praetoribus iubetur cohortibus et cristis sumtis nivibus obrutus montium aditus custodire contra latrones Boeotos, impetum facturos sub dies festos Anthesteriorum. Tunc fortissimus miles et pugnae amantissimus laetos festorum apparatus cernens, tristissima voce (v. 1078):

ἰὼ στρατηγοὶ πλείονες ἢ βελτίονες.
οὐ δεινὰ μὴ 'ξεῖναί με μηδ' ἑορτάσαι;

et mordaciter exclamat Dicaeopolis (v. 1080):

ἰὼ στράτευμα πολεμολαμαχαϊκόν

Magno cum derisu et contemptu Dicaeopolis petit eum, qui paulo ante suam virtutem iactaret et pacem contemneret.

Dum Lamachum ad pugnam proficisci iubent praetores Dicaeopolis ad festum vocatur a Dionysi sacerdote nuntianti, omnibus iam paratis eum solum exspectari. Alternis verbis eos facit poeta petentes necessaria alterum ad festos celebrandos, alterum ad expeditionem: quum Lamachus iubet alas sibi afferri quae galeam ornent, Dicaeopolis sibi petit palumbas turdosque, quos comedat. Ecquae oratio in concione pro Pace habita magis populi animos posset movere? Quid iam opus est bello, dum liceat affluentibus bonis pace frui? Iactent virtutem illi viri bellicosi; simulac belli aerumnis ipsi vexati iucundiora pacis commoda conspexerint iam ipsi gloriae molestias valere iubentes ad omnia alia transibunt et, uti Lamachus, tempestate hiemali arma sumere coacti frigore horrentes dicent:

βαβαιάξ· χειμέρια τὰ πράγματα.

Civis bonus contra a bello abhorrens, salutem omnium cupiens ad hilariora se vertet (συμποτικὰ τὰ πραγματα). Chorus tandem, utriusque diversam fortunam spectans evictus concedit in consilium Dicaeopolis (v. 1144):

ὡς ἀνομοίαν ἔρχεσθον ὁδόν·
τῷ μὲν πίνειν στεφανωσαμένῳ
σοὶ δὲ ῥιγῶν καὶ προφυλάττειν.

Quum autem ex multis locis luculenter apparet, quanti poeta aestumet gloriam in bello pro patria gesto comparatam (saepe enim laudat maiores qui libertatem universae Graeciae contra Persas defenderant et duces, qui ut Phormio etiam in hoc bello cum antiqua virtute res gesserant) haud dubitandum tamen, si fabulas perlegimus, quin ex animi sententia bellum detestatus sit quod a Pericle incensum, inter Graecos gestum, populi moderatores lucri spe protrahere vellent. Suis igitur poeta utitur viribus, acrimonia et iocosa, ut ita dicam, eloquentia, quae populo placebat ut pacis moveat desiderium. Itaque haud dubium, opinor, quin spectatores, fabula acta paci propensiores domum redierint et minus obnoxii illis oratoribus, quorum prava consilia detexisset poetae. Quo circa non temere poeta anno 421 quum Pax instaret, fabulam mihi docuisse videtur, qua civium animos incertos utrum Niciae factioni an oratoribus, qui post Cleonis mortem in Pnyce bellum suadebant, auscultarent impelleret ad Pacem accipiendam. (Pac. 292, 295

νῦν ἐστιν ἡμῖν, ὦνδρες Ἕλληνες, καλὸν
ἐξελκύσαι τὴν πᾶσιν Εἰρήνην φίλην
πρὶν ἕτερον αὖ δοίδυκα κωλῦσαί τινα

Videamus quibus argumentis utatur in hac fabula.

Graeci deos habent iratos, quod inter se bellum gerunt. Iam non amplius tuentur numina Graeciam (Pac. 204):

Ἕλλησιν ὀργισθέντες. εἶτ' ἐνταῦθα μέν
ἵν' ἦσαν αὐτοὶ, τὸν πόλεμον κατῴκισαν
ὑμᾶς παραδόντες δρᾶν ἀτεχνῶς ὅ τι βούλεται

Pax igitur facienda est, ut cum diis in gratiam rede-

ant; deinde populi ipsius si pax fiat, vitia evanescent (v. 349):

κοὐκέτ᾽. ἄν μ᾽ εὕροις δικαστὴν δριμὺν οὐδὲ δύσκολον
οὐδὲ τοὺς τρόπους γε δήπου σκληρόν, ὥσπερ καὶ πρὸ τοῦ
ἀλλ᾽ ἁπαλὸν ἄν μ᾽ ἴδοις
καὶ πολὺ νεώτερον.
ἀπαλλαγέντα πραγμάτων,

Nam bellum ut iam supra vidimus faciebat ut populus labore solutus facile victum quaereret mercede quam invitis optimatibus jus dicens lubenter accipiebat. Si pax omnia in integrum restitueret, mox plebs alia haberet, quae faceret et si iam nunc, dicit Trugaeus, populus vitiis abstinuerit, ipsa Pax ultro veniet (Pac. 503):

καὶ τοῖς Ἀθηναίοισι παύσασθαι λέγω
ἐντεῦθεν ἐχομένοις, ὅθεν νῦν ἕλκετε
οὐδὲν γὰρ ἄλλο δρᾶτε πλὴν δικάζετε.

Quum enim propter ipsam iurisdictionem populus obnoxius esset demagogis nullo modo pacem fieri posse expectabat poeta nisi populus ab illa abstineret. Quamobrem Paci divae Euripides invisus quod verbis utatnr iudiciariis (cfr. 528):

ταύτης καταψευδόμενος. οὐ γὰρ ἥδεται
αὕτη ποιητῇ ῥηματίων δικανικῶν
(Cfr. Eur. Androm. 445).

Praeterea pax non solum multis malis liberabit urbem sed multa bona ei afferet quibus destituta languebat; agri saeviente bello inculti reddentur dominis, iam revi-

rescet Attica vineis ut antea et vinum quo diu caruerant abunde praesto erit urbanis et rusticis. Quae, opinor sunt argumenta optima ad plebeculae animos movendos, quorum pars rustica suos agros videbat vastatos, et quibus vinum, dies festi aliaeque voluptates bello essent erepta. Nonne ipse Cratinus vinolentus ille comicus, belli statim initio mortuus erat, quod conspectum amphorae fractae ab hostibus ferre non posset? Quare ex animi sententia Trugaeus Pacem sub auras tractam, cui comites ἡ ὀπώρα, (vindemia et θεωρία) feriae, quae Athenis aliisque in urbibus Graeciae celebrabantur sic salutat (Pac. 520):

ὦ πότνια βοτρυόδωρε, τί προσείπω σ' ἔπος;
πόθεν ἂν λάβοιμι ῥῆμα μυριάμφορον
ὅτῳ προσείπω σ'; οὐ γὰρ εἶχον οἴκοθεν.
ὦ χαῖρ' Ὀπώρα, καὶ σὺ δ', ὦ Θεωρία.
οἷον δ' ἔχεις τὸ πρόσωπον, ὦ Θεωρία.
οἷον δὲ πνεῖς, ὡς ἡδὺ κατὰ τῆς καρδίας,
γλυκύτατον, ὥσπερ ἀστρατείας καὶ μύρου.

Quamquam non opus est probare quanti Athenienses ducerent illam Theoriam qua inter se conveniebant ad festos agendos, tamen operae pretium est conferre Thuc. V, 18, ubi τὸ θεωρεῖν κατὰ τὰ πάτρια τὸν βουλόμενον καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν ἀδεῶς inter pacis condiciones legitur.

Praeterea Pax secum feret vindemiam Dionysia, tibiae cantus, tragoedias, carmina Sophoclis, turdos omniaque bona, comice inter se mixta, quae bellum impediebat (v. 530, 531). Quae inde a versu 515 sequuntur aptissima ad plebis in agris viventis risum movendum et

lubidinem stimulandam. Denique nulla diserta oratio mihi aptior videtur ad desiderium pristinae condicionis excitandam, quam illa lepida et iucunda pacis descriptio a Trugaeo habitae.

Urbes male vexatae tempore belli nunc reconciliatae, inter se socialiter confabulantur, ut antea solebant, et gaudent pace (v. 539):

πρὸς ἀλλήλας λαλοῦσιν αἱ πόλεις
διαλλαγεῖσαι καὶ γελῶσιν ἄσμεναι
καὶ ταῦτα δαιμονίως ὑπωπιασμέναι

Artes, quae in Pace florere solent et magis civium saluti consulere quam illae quibus bellum prodest, latae pacis reditum vident (v. 548):

ὁ δὲ δρεπανουργὸς οὐχ ὁρᾷς ὡς ἥδεται
καὶ τὸν δορυξὸν οἷον ἐσκιμάλισεν;

Quod iam diu cupiebant licebit agricolis cum instrumentis suis redire in agros, abiectis parmula, ense ceteroque militari apparatu et quisque bonus gaudebit, quo die pax urbem intraverit (v. 556):

ὦ ποθεινὴ τοῖς δικαίοις καὶ γεωργοῖς ἡμέρα
ἄσμενός σ' ἰδὼν προσειπεῖν βούλομαι τὰς ἀμπέλους.
τάς τε συκᾶς, ἃς ἐγὼ 'φύτευον ὢν νεώτερος
ἀσπάσασθαι θυμὸς ἡμῖν ἐστι πολλοστῷ χρόνῳ.

Laetissimus erit dies ait chorus quo Pax nos liberaverit cristis et Gorgonibus (561) et nos agris nostris reddiderit. Alternis verbis Trugaeus et chorus ita laudant vitam rusticam, ut fieri non posset quin magna priscae

condicionis cupido invaserit eos, qui vitae urbanae mala experti essent.

Poeta autem, intelligens reditum in agros non solum ipsi plebi fore saluberrimum, sed etiam sibi aliisque, qui turbae incultae, demagogis obnoxiae licentiam in urbe metuerent, summam adhibet artem ut vitae rusticae amoenitatem depingat, cuius desiderium paci esset opportunissimum, neque dubitandum quin multorum, quos vitae urbanae taederet, vota exprimat chorus (v. 583—586):

χαῖρε χαῖρ' ὡς ἦλθες ἡμῖν ἀσμένοισι φιλτάτη
σῷ γὰρ ἐδάμην πόθῳ
δαιμόνια βουλόμενος
εἰς ἀγρὸν ἀνερπύσαι.
ἦσθα γὰρ μέγιστον ἡμῖν κέρδος, ὦ ποθουμένη

Nihil magis quam id egisse mihi videtur poeta, ut plebs rustica ipsa sentiret, quod chorus comice dicit in laudem Pacis (v. 595):

τοῖς ἀγροίκοισιν γὰρ ἦσθα χῖδρα καὶ σωτηρία.

Denique sola in pace felicitatem et salutem positam esse civium et potius omnem gloriae cupidinem et ambitionem esse omittendam, quam civium cumulare pericula et labores belli poeta pro certo habet, humanitate et patriae amore, nec non, opinor, quietis laetae desiderio inductus. Vehementer enim odit condicionem illam tristem e civitatium aemulatione prava et invidia ortam, quae multis esset molestissima. Assidue igitur pacem suadet, in parte stans illius factionis, cui Nicias praeerat dux, de cuius pacis amore haec tradit Thuc. V. 16

(βουλόμενος ἐν ᾧ ἀπαθὴς ἦν καὶ ἠξιοῦτο διασώσασθαι τὴν εὐτυχίαν καὶ ἔς τε τὸ αὐτίκα πόνων πεπαῦσθαι καὶ αὐτὸς τοὺς πολίτας παῦσαι cett.)

Sperabat insuper poeta pacem Graeciae reddituram concordiam, qua communes hostes possent propulsare et patriae communis quieta felicitate frui. Quare ex imo pectore precatur Trugaeus (Pac. v. 996):

μῖξον δ' ἡμᾶς τοὺς Ἕλληνας
πάλιν ἐξ ἀρχῆς
φιλίας χυλῷ καὶ συγγνώμῃ
τινὶ πρᾳοτέρᾳ κέρασον τὸν νοῦν.

Iam eo delapsae erant Graeciae civitates, ut hostium, contra quos maiores coniunctis viribus patriam defenderant, auxilium invocarent contra populares. Tanto malo sola pax et concordia sedem communem possent liberare Ergo Aristophanes, turpe quid esse putans, quod regum externorum auxilia Graeciam introducerentur, ut cum Graecis pugnarent, in fabula, quae „Acharnenses" est inscripta, ubi ut iam vidimus, assidue Pacis canit laudes ex industria legatos exagitasse mihi videtur, qui, mercedem tantum respicientes, saepe nil agerent, saepe mitterentur ad ea impetranda quae Graeciae nonnisi perniciosa forent.

Dicaeopolis iratus, quod Athenienses legatos malint audire quam de pace agere, dicit (vers. 62):

ἄχθομαι 'γώ πρέσβεσι
καὶ τοῖς ταῶσι τοῖς τ' ἀλαζονεύμασιν.

Duarum enim drachmarum mercedem accipiunt; nil

agunt, luxuriose vivunt (v. 70) dum civis bonus in moenibus excubat, pabulum habens pro lecto; quin etiam civitatem turpiter ludibrio habent:

> ὦ Κραναὰ πόλις
> ἆρ' αἰσθάνει τὸν καταγέλων τῶν πρέσβεων;

Sed populus in Pnyce vult decipi et Dicaeopolin, legatorum fraudem detecturum, tacere iubet praeco, quum ipse senatus legatum regis (τὸν βασιλέως ὀφθαλμόν) ad se arcessit in Prytaneum. Quo magis ille de republica desperans impellitur ad privatam pacem faciendam et cives ob stultitiam devovendos (v. 133):

> ὑμεῖς δὲ πρεσβεύεσθε καὶ κεχήνατε.

Hic rursus poeta magna vi comica in scena carpit vitium, quod revera exstabat cum reipublicae malo, immo mordaciter tangit. Lacedaemonios et Athenienses legatos misisse ad regem Persarum ut auxilium eius invocarent (cfr. Acharn. 646 cett.) cognoscitur e Thuc. IV, 50, ubi legimus, Aristidem Artaphernem legatum a rege Lacedaemonem missum in itinere intercepisse. E literis, quas secum ferebat cognoverunt Athenienses, regem Lacedaemoniis non concedere, quae rogarent, quod multi ad se venirent legati, alius aliud dicentes (πολλῶν γὰρ ἐλθόντων πρέσβεων οὐδένα ταὐτὰ λέγειν.) Quem quum Athenienses paullo post remitterent, simul eorum legati sunt profecti ad regem, qui tamen Ephesi de regis Artaxerxis morte certiores facti infecta re redierunt. Iam belli initio Lacedaemonii consilium habuerant invocandi auxilium Persarum classis, quam quod nihil perniciosius fieri posset

rebus Graecis [1]). Deinde legimus apud Thucydidem (Lib. II, 67) legatos Lacedaemoniorum et sociorum, anno 429 profectos esse ad regem per Thraciam ut simul Sitalcen, Atheniensium socium in suas traherent partes. Qua tamen spe frustrati sunt, quum Sadocus Sitalcis filius legatos traderet Atheniensibus.

Quamquam apud Thucydidem non multa occurrunt de legatis Atheniensium ad regem missis, tamen saepius factum esse coniicias ex iis ipsis, quae in comoedia tangit poeta. Num quid significarent, nisi ad facta spectarent, quae leguntur in Acharn (v. 613):

εἶδέν τις ὑμῶν τἀκβάταν' ἢ τοὺς Χάονας;

In concione in hac fabula comice habita, Theoros quoque adest, quem poeta saepius carpit. Est unus e iunioribus, quibus obiicit, quod ipsi urbem relinquant et legationes captent, dum cives seniores in urbe militant (v. 600 seqq.):

ὁρῶν πολιοὺς μὲν ἄνδρας ἐν ταῖς τάξεσιν
νεανίας δ' οἷος σὺ διαδεδρακότας.

Anno 429 legatus fuisse videtur apud Sitalcen, quem Athenienses socium sibi cupiebant, ut eius auxilio Potidaeam caperent. Eum fingit poeta reversum post longam absentiam, ut ipse praetegit, ob hiemem frigidam in Thracia ortam, quod ibi Theognis poeta fabulas doceret, ut rectius suspicatur Dicaeopolis ob magnam mercedem, quam legatus acciperet. Vir astutus optime sciens civium animos blanditiarum amantissimos, ita refert de Sitalce (v. 142):

---

[1]) De qua re dicit Grote pag. 167 Vol. VI: a remarkable evidence of melancholy revolution in Grecian affairs.

καὶ δῆτα Φιλαθήναιος ἦν ὑπερφυῶς,
ὑμῶν τ' ἐραστὴς ἦν ἀληθής, ὥστε καὶ
ἐν τοῖσι τοίχοις ἔγραφ'· Ἀθηναῖοι καλοί.

Ceterum tempus trivit bibendo cum Sitalce (v. 414). Huius filius lepidissime deridetur ut modo civis Athenien sis factus novae patriae amore flagrans; neque occulte poeta vituperat indignum factum, quod Atheniensis virum barbarum civem fecissent, cuius patrem ad auxilium ferendum impellerent. Quid enim contemptius et mordacius dici posset quam haec (Ach. v. 145):

ὁ δ' υἱός, ὃν Ἀθηναῖον ἐπεποιήμεθα
ἤρα φαγεῖν ἀλλᾶντας ἐξ Ἀπατουρίων,
καὶ τὸν πατέρ' ἠντεβόλει βοηθεῖν τῇ πάτρᾳ.

Mox iam aderit barbarus ut una cum civibus festum celebret, cui Atticae gentes solae interesse solebant. Ipse pater, tanto honore affectus pollicetur, ut beneficium reddat, tantis cum copiis auxilio venturum, ut Athenienses exclament (v. 150):

ὅσον τὸ χρῆμα παρνόπων προσέρχεται.

Quae omnia spectant ad ea, quae belli initio facta erant. Apud Thucydidem enim legimus (Lib. II, e. 29). Athenienses legatos et munera misisse ad Sitalcen Thraciae regem, eiusque filio civitatem dedisse Nymphodori cuiusdam Abderitae opera, ut illius auxilio Potidaeam in dicionem redigerent et simul regem Perdiccam coercerent, qui Corinthios ad bellum accendisset (Thuc. II, 29, 95, 101). Sitalces auxiliis promissis, post multam moram cum equitum et velitum exercitu profectus est

contra Chalcidicen, sed agris devastatis mox infecta re redire coactus est, quin etiam non multo post foedus percussit cum Perdicca, cui nil magis placebat, quam quod res Graecae turbarentur.

Frustra igitur honores et nummos impenderant Athenienses et ex ipsa re discere licitum erat auxilium a barbaris petitum nullum afferre lucrum. Quamobrem poeta suadet drachmas, quas legati et mercenarii auferant sine fructu, potius dare militibus classicis, quorum in virtute urbs numquam frustra spem posuisset, quam illis qui magno cum malo Graeciae extrinsecus arcessantur, ubi Theoro, nuntianti (Ach. 159.):

τούτοις ἐάν τις δύο δραχμὰς μισθὸν διδῷ,
καταπελτάσονται τὴν Βοιωτίαν ὅλην,

respondet Dicaeopolis:

τοισδὶ δύο δραχμὰς τοῖς ἀπεψωλημένοις;
ὑποστένοι μένταν ὁ θρανίτης λεώς
ὁ σωσίπολις.

Non minimum erat belli malum illae barbaricae nationes, quae ab utraque civitate in Graeciam arcessitae, mercede conducerentur. De qua re, a poeta hic sine dubio tacta, operae pretium est conferre Thuc. II, 80, 81. Chaones, (cfr. Ach. 613) Thesproti, Molossi, aliaeque gentes incultae, ab ipsis Graecis in Graeciam introducebantur quibus auxiliis inter se pugnarent, malum tunc temporis primum ortum. Censet poeta, externas has nationes incultas et barbaricas, unde nil nisi malum exspectandum procul esse habendas a Graecia. Nonne Persarum regi acceptissimum erat Graecarum civitatium

inter se dissidium, ut ipse in Asia minore habitantes Graecos impune in dicionem redigeret quod postea turpissima pace facta impetravit? Nonne iam tunc Perdiccas Macedoniae rex res Graecas miscere coepit, cuius successores totam Graeciam sibi subiicerent?

Denique nationes, expertes Graecae humanitatis et libertatis, Graeciae non nisi damnum possent afferre. Quae futura essent, inter iocos et facetias quasi praesagiens poeta pericula strenue, ut vidimus, pacem et concordiam inter Graecas civitates suadet contra hostes, unde periculum semper immineret Graeciae.

Diligenter igitur inter se comparando, quae poeta de statu politico suae urbis aut iocose aut serio et mordaciter dicit, id mihi persuasum habeo, auctoritatem comoediae tantam fuisse, ut populi, penes quem summa erat potentia sententiam saepissime rexerit. Nam vidimus ut paucis omnia complectar poetam omnibus viribus artes et fraudes detegentem illorum, qui salutem reipublicae rebus privatis postponerent abusi auctoritate quam habebant apud plebem, numero non mente validam, quod vitium, semper et ubique, inprimis hodierno quoque tempore magna mala peperit et fortasse pariet; nec minus luculenter cavillantem potentiam illius plebis, quae superstitiosa, ambitiosa, avida omnium rerum arbitrium committit viris, qui eam in comitiis et iudiciis tamquam canem venaticnm in suos adversarios adhiberent. Itaque verum rerum statum populi ante oculos ponendo frangere conatur auctoritatem eorum, qui cum reipublicae malo civitati praeerant.

Praeterea invenimus eum strenue suadentem Graeciae unitatem quae periculosa externorum hostium consilia impediret, et simul acriter dissuadentem stultam cupidinem imperii prolatandi extra Graeciae fines, deinde socios tuentem contra iniurias et monentem, ne Athenae durius et incantius agendo validissimam imperii partem a se alienarent.

Dolens suae aetatis vitia, inprimis post Periclis mortem aucta eaque vehementer perstringens, desiderat illud tempus quo Graecia maxime floruerat, Athenae omnibus Graeciae civitatibus praestiterant. Tum enim universi Graeci uno animo coniuncti contra hostem communem arma sumserant; hodie, queritur inter iocos poeta, Graeci inter se pugnant patriamque in maxima mala praecipitant.

Quamobrem in omnibus fabulis perlucet pacis desiderium, quae Graeciae concordiam et commercium, urbi quietam hilaritatem et sociorum redderet obtemperantiam.

E quibus omnibus si colligi potest ipsius poetae sententia, non minus apparent illorum studia, qui, ut ipse, effrenatae plebis licentiae adversarii, e pace salutem sibi exspectabant et reipublicae.

Itaque Aristophanis Musa exstat uberrimus fons, unde conditionem qua eius tempore urbs uteretur, melius cognoscas quam e raris apud Thucydidem indiciis. Cuius rei ipsum Platonem habemus testem, si vera sunt quae narrantur in vita Poetae (Prolegom. de comoedia XI): *Φασὶ δὲ καὶ Πλάτωνα Διονυσίῳ τῷ τυράννῳ, βουληθέντι μαθεῖν τὴν Ἀθηναίων πολιτείαν πέμψαι τὴν Ἀριστοφάνους ποίησιν καὶ συμβουλεῦσαι τὰ δράματα αὐτοῦ ἀσκηθέντα μαθεῖν αὐτῶν τὴν πολιτείαν.*

THESES.

I.

Cic. in Verrem Act. II. Lib. IV. Cap. 53.

Altera autem est urbs *Syracusis*.

Dele: Syracusis.

II.

Cic. pro Cluentio. Cap. X.

Vos auditis de eo in quem iudices non estis, de eo, quem non videtis, de eo, quem odisse iam non potestis, de eo, qui et naturae et legibus satisfecit (quem leges exsilio, natura morte multavit).

Delenda, quae uncinis sunt inclusa.

III.

Caes. de Bello Gall. Lib. I. Cap. XI.

Ita se omni tempore de populo Romano meritos esse, ut paene in conspectu exercitus nostri agri vastari, liberi ***eorum*** in servitutem abduci, oppida expugnari non debuerint.

Lege: coram.

IV.

Caesar de Bello Civ. I. 61.

Hoc inito consilio toto flumine Hibero naves *conquirere* et Octogesam adduci iubent.

Lege: conquiri.

V.

Livius, Lib. III. 41.

In Fabio minus *in bono* constans quam navum *in malitia* ingenium esse.

Lege: *in foro* et *in militia.*

VI.

Tac. Agric. Cap. XVI.

Legendum mihi videtur:

Quod nisi Paulinus cognito provinciae motu propere subvenisset Britannia amissa foret; quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et proprius ex legato timor agitabat. Ne quamquam egregius cetera adroganter in deditos et ut suae quisque iniuriae ultor durius consuleret, *mittitur* Petronius Turpilianus tamquam exorabilior.

VII.

Terent Eunuch. 789.

Omnia prius experiri quam *armis* sapientem decet.

Lege: arma.

VIII.

Plaut. Mos Vell. 1028.

Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit
Atque equidem, quid id esse dicam verbum nauci nescio,
Ultimus versus ut glossema expungendus.

IX.

Aristoph. Acharn. vs. 559.

καὶ συκοφάντης εἴ τις ἦν ὠνείδισας;

expungendus est.

X.

Ibid. Pac. V. 1262.

ΤΡΥ. *εἰ διαπρισθεῖεν δίχα*

λάβοιμ' ἂν αὐτ' ἐς χάρακας, ἑκατὸν τῆς δραχμῆς.

Lege: *διαπρισθείη.*

XI.

Ibid. Equit. 313.

κἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπῶν.

Lege: *θυννοσκοπεῖς.*

XII.

Thucyd. IV. 40.

ἀπεκρίνατο αὐτῷ πολλοῦ ἂν ἄξιον εἶναι τὸν ἄτρακτον (λέγων τον οἰστὸν) εἰ τοὺς ἀγαθοὺς διεγίγνωσκε (δήλωσιν ποιούμενος ὅτι ὁ ἐντυγχάνων τοῖς τε λίθοις καὶ τοξεύμασι διεφθείρετο).

Dele, quae uncinis sunt inclusa.

XIII.

Soph. Philoct. 1379.

πρὸς τοὺς μὲν οὖν σε τήνδε τ' ἔμπυον βάσιν

παύσοντας ἄλγους κἀποσώζοντας νόσου.

Lege: *κἀποσώσοντας.*

XIV.

Xenoph. Hist. Graec. III, 3, 6: *αὐτοὶ μέντοι πᾶσιν ἔφασαν συνειδέναι.*

Dele: *ἔφασαν.*

XV.

Ibid. Lib. IV, cap. 8, 11: *Λακεδαιμόνιος δ' αὐτὸ παρέλαβον.*

Lege: *κατέλαβον.*

XVI.

Xenoph. Anab. Lib. I, cap. 8, 19: *πρὶν δὲ τόξευμα ἐξικνεῖσθαι ἐκκλίνουσιν οἱ βάρβαροι καὶ φεύγουσιν.*

Lege: *ἐγκλίνουσιν.*

XVII.

Isocr. de Pace, 643.

καὶ μαχόμενοι καὶ ναυμαχοῦντες.

Sermonis usus postulare mihi videtur: *πεζῇ μαχόμενοι.*

XVIII.

Ibid. § 81: *ἀλλὰ τὰ μὲν πικρότατα καὶ μάλιστ ἂν ὑμᾶς λυπήσοντα παραλείψω.*

Lege: *λυπήσαντα.*

XIX.

Plut. de Socr. genio

ἐδήλουν δὲ τῶν φυγάδων ὄντας δώδεκα τοὺς νεωτάτους μετὰ κυνῶν περὶ τὸν Κιθαιρῶνα θηρεῦσαι, ὡς προς ἑσπέραν ἀφικόμενους.

Lege: *πρὸς ἑσπέραν ἄν.*

XX.

Schol. ad Pac. V. 1181

ἐξαλείφοντες Ὅτι τοὺς μὲν ἐξήλειφον, τοὺς δὲ ἐνέγραφον εἰς τὸν κατάλογον τῶν πολεμίων.

Lege: *τῶν πολιτῶν.*

XXI.

De oude Grieksche komedie heeft waarde voor de geschiedenis, meer door de weerkaatsing van algemeene toestanden, dan door de vermelding van feiten.

XXII.

De Fransche revolutie en haar geheel beloop is een noodzakelijk gevolg van de voorafgaande geschiedenis van Frankrijk.

XXIII.

Limborch IX, 366:

Ghi siit ridder wtvercoren
Ende wtnemende van ons allen;
Hoe es u herte dus u ontfallen
Dat ghi u dus sere *ontfaert.*

Lees: vervaert.

XXIV.

Te recht zegt Kant, (Sämmtl. W. I, 390):
Selbstdenken heisst den obersten Probierstein der Wahrheit in sich selbst suchen: und die Maxime, jederzeit, selbst zu denken ist die Aufklärung.
Aufklärung in einzelnen Subjecten durch Erziehung zu gründen ist also gar leicht; man muss nur früh anfangen, die jungen Köpfe zu dieser Reflexion zu gewöhnen.

XXV.

Met het oog op de voorgaande stelling, behooren klassieke talen en mathesis tot de beste hulpmiddelen van voorbereidend onderwijs.

XV.

ib. IV, cap. 8, 11

ον.

ατέλαβον.

XVI.

. Anab. Lib. I, cap. 8

ι ἐκκλίνουσιν οἱ βάρβαροι

ἐγκλίνουσιν.

XVII.

de Pace, 643.

καὶ μαχόμενοι καὶ νι

iis usus postulare mihi vid

XVIII.

§ 81: ἀλλὰ τὰ μὲν π

τήσοντα παραλείψω.

λυπήσαντα.

XIX.

le Socr. genio

δὲ τῶν Φυγάδων ὄντας

ῶν περὶ τὸν Κιθαιρῶνα δ

μενους.

πρὸς ἑσπέραν ἦν.

XX.

d Pac. V. 1181

ες Ὅτι τοὺς μὲν ἐξῆλ

ν κατάλογον τῶν πολ

ῶν πολιτῶν.

